

Inter libros
Joseph Mariae [illegible]
Intercessoris Regii
A. L. N.

DISSERTATIO I
DE
CHIVN ET REMPHAN
EX
AMOS. V. COM. XXV. XXVI. XXVII. COLL. ACT. VII. COM. XLII. XLIII.

CONTRA

DEMOCRITVM EIVSQVE ASSECLAS

QVAM

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI

DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTLOB FRIDERIC.
WOLFF
A. M. ET AD D. PETRI CATECHETA



RESPONDENTE

FRIDER. ERDM. AVG. HEYDENREICH
MERSEB. S. S. THEOL. CVLT.



D. XX. SEPT. A. O. R. MDCCXLI

LIPSIAE
LITTERIS TAKKIANIS

INCLVTO
CIVITATIS LIPSIENSIS
SENATVS COLLEGIO
VIRIS ILLVSTRIBVS
MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS
AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS
CONSVLIBVS
PROCONSVLIBVS
ÆDILIBVS
PRÆTORIBVS
SENATORIBVSQVE
RELIQVIS
MÆCENATIBVS MAXVMIS
DOMINIS PATRONIS
SVMMA OBSERVANTIA
COLENDIS

HAS

QVALESCVNQVE PRIMITIAS ACADEMICAS

PIETATIS ET OBSERVANTIAE TESTES

MENTISQVE DEVOTISSIMAE PIGNVS

OFFERT

ARDENTISSIMA ET PIENTISSIMA VOTA

PRO

SENATVS MAGNIFICI

COELESTI TVTAMINE CONSTANTISSIMO FLORE

INCOLVMITATE SENECTVTE FELICITATE

NVNCVPAT

PATRVM CONSCRIPTORVM

PERPETVAM GRATIAM

SIBI

SVBMISSISSIMA VENERATIONE

PRECATVR

CHRISTIANVS GOTTLOB FRIDERICVS WOLFF



CONSPECTVS.

בשש

PRÆFAMEN.



Quæ HILARIUS iam suo tempore questus est a) de Scripturæ Sacræ interpretationibus, cum dicit: *Extiterunt plures, qui coelestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent aliter interpretandam, quam dictorum virtus postularet:* ea nostro etiam adhuc sunt repetenda, siquidem omnes ferme ac singuli mortales oracula Dei exponere conantur. Et isti quidem homines sensum ex dictis non eruunt, sed intrudunt, non referunt, sed inferunt. Qvo factum est, ut sacræ litteræ a plerisque non habeantur a Deo inspiratæ, sed ex hominum arbitrio productæ. Nec erubescunt divina ista eloquia plane reiicere, suasque erroneas opiniones nobis obtrudere. Imprimis magnas excitaverunt in orbe christiano turbas, qui testimonia de Christo Servatore nostro, per quem et Patriarchæ vitam æter-

a) *Lib. II. de Trinit. T. I. fol. 17. B.*

æternam affecuti funt, in V. F. prorfus fupprimere aufi funt. Vt alios taceam, facinus iftud depravatoris WERTHEMENSIS omnium adhuc fermonibus circumfertur, omniumque mentibus inhæret. Qvia vero eiusmodi veritatis chriftianæ adverfarii ab aliis eruditis iam fatis proftrati & profligati funt, illis nunc miffis, eos aggrediar, qui facrificia totumque cultum leviticum a Deo genti iudaicæ præfcriptum, ut idololatricum, abfurdum, et ab hominibus excogitatum traducunt. Propugnator hujus fententiæ eft Germanicus ille DEMOCRITUS, qui omnem veritatem Chriftianam deridet, S. Scripturæ dicta detorquet, et pro lubitu prorfus reiicit, cuius fententia hæc eft:

Sic volo, fic iubeo, fit pro ratione voluntas.

Primum enim concefferat, b) facrificia fuiffe aliquo modo Servatoris noftri typos. Cum vero quidam, quem ille M. SCHROEDERUM fubodoratur, opponeret, in rebus feriis et facris non ita effe ludendum; malum fuum animum nunc manifeftat dicens, totum illum cultum ex Gentilismo fuiffe defumtum, Deum enim permififfe Judæis, ob perverfum eorum animum, ut idolis fervirent, & provocat ad Amos. V. com. 25-27 & Act. VII. com. 42, 43. ex quibus fententiam fuam probare ftudet. His enim utitur verbis c): *Bey dem Amos Cap. V. lauten die Worte noch empfindlicher, und zeigen zugleich, das die Hütte des Stiffts, mit ihren gantzen Zugehœr von denen Heyden entlehnet, und von GOtt nur geordnet fey, diefe Abgœtterey aufs minfte in feinen Namen verrichten zu laffen, welche fie doch fonft nicht würden unterlaffen haben. Habt ihr, fpricht GOtt, von dem Haufe Ifrael mir in der Wüften Opffer und Speis-Opffer gebracht? Ja wohl! Ihr truget die Hütte eures Molochs, und die Bilder eures Gœtzens Remphans.* [cet. Qvæ detorfio me permovit, ut veritatem demonftraturus ifta dicta vindicarem. Qvia vero S. Stephanus ab Amofo diffentire videtur, ex quo tamen verba allegat, in hoc tantummodo hac vice verfabor, ut veram conciliationem oftendam, reliqua autem alii tempori, Jova iuvante, refervem.

§. II.

Vt vero res clarior reddatur, verba ipfa horum Divorum Virorum proponam. Protomartyr apud Lucam his utitur verbis: *Εϛρεψε δε ο Θεος, και παρεδωκεν αυλȣς λατρευειν τῃ ϛρατιᾳ τȣ ȣρανȣ, καθως γεγραπται εν βιβλῳ των προφητων.*

b) *in Refponfione ad Quæftiones Amici Holmienfis* §. 9. *p. m.* 123.
c) *in der Abfertigung der Replique Herrn M. SCHROEDERS p.* 242.

Μη σφαγια και θυσιας προσηνεγκατε μοι
ετη τεσσαρακοντα εν τη ερημω
οικος Ισραηλ; και ανελαβετε
την σκηνην τȣ Μολοχ,
και το αςρον τȣ Θεȣ υμων Ρεμφαν, τȣς τυπȣς,
ους εποιησατε προσκυνειν αυτοις.
Και μετοικιω υμας επεκεινα Βαβυλωνος.

הַזְּבָחִים וּמִנְחָה הִגַּשְׁתֶּם־לִי
בַמִּדְבָּר אַרְבָּעִים שָׁנָה
בֵּית יִשְׂרָאֵל׃ וּנְשָׂאתֶם
אֵת סִכּוּת מַלְכְּכֶם
וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם כּוֹכַב
אֱלֹהֵיכֶם
אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם לָכֶם
וְהִגְלֵיתִי אֶתְכֶם מֵהָלְאָה לְדַמָּשֶׂק.

Eandem statim, inter LXX. Senum versionem, & Stephani verba, institutam collationem.

οἱ Ο'	S. STEPHANVS.
Μη σφαγια και θυσιας προσηνεγκατε μοι οικος Ισραηλ τεσσαρακοντα ετη εν τη ερημω;	Μη σφαγια και θυσιας προσηνεγκατε μοι ετη τεσσαρακοντα εν τη ερημω οικος Ισραηλ;
Και ανελαβετε την σκηνην τȣ Μολοχ,	Και ανελαβετε την σκηνην τȣ Μολοχ,
Και το αςρον τȣ Θεȣ υμων Ραιφαν,	Και το αςρον τȣ Θεȣ υμων Ρεμφαν,
Τȣς τυπȣς αυτων, ȣς εποιησατε εαυτοις,	Τȣς τυπȣς, ȣς εποιησατε προσκυνειν αυτοις,
Και μετοικιω υμας επεκεινα Δαμασκȣ.	Και μετοικιω υμας επεκεινα Βαβυλωνος.

§. III.

Nexum horum Protomartyris verborum cum contextu paululum perpendere non abs re erit. Stephanus Diaconus et S. Martyr causam coram Synedrio agens duo imprimis tractat. Primo ad obtrectationes respondet Deinde in præfractam atque induratam mentem iudicum istorum iniustissimorum animadvertit. Falsi enim testes a Libertinis aliisque sceleratissimis Judæis corrupti testimonium perhibebant, Stephanum doctrina sua id agere, ut leges a Mose datas violaret, cultumque leviticum a Mose præscriptum in templo huc usque sartum tectumque conservatum, abrogaret, cap. VI. com. 13. 14. Quæ omnia hoc in Cap. VII.

VII. a com. 2. ad 50. refutat. Tunc convertit se ad accusatores et iudices, quorum duritiem com. 51. ad 53. exprobrat. Et quidem arguit istos imprimis perversæ imitationis maiorum suorum, quippe qui eadem committant peccata, quæ perpetraverint maiores. *Υμεις αει τω πνευματι τω αγιω αντιπιπτετε, ως οι πατερες υμων, και υμεις.* Quibus autem flagitiis inquinati fuerint eorum maiores, com 39-43. commemorat. Quibus verbis simul ad iustissimam pœnam provocat, quam Deo dederant patres, quæ aliena pericula hos Judæos cautos facere potuissent, sicut DEMOSTHENES, ut me legisse memini, ait: *δει τεκμαιρεσθαι τα μελλοντα εκ των γεγεννημενων*, vel ut alibi dicit: *παντες ανθρωποι τοις ετερων παραδειγμασι χρωμενον μαλλον ευλαβεις αυτοι γινονται.* Nihilo tamen secius perversa parentum premebant vestigia. Qvem enim ad modum Judæi ex Aegypto Summi Numinis ductu exeuntes Messiam a Mose promissum vera fide accipere nolebant, sed idolis serviebant, sibique ipsis cultum divinum eligebant; non aliter vos faciis, inquit Stephanus, *υμεις σκληροτραχηλοι και απεριτμητοι τη καρδια και τοις ωσιν.*

§. IV.

Provocat autem, in probando cultu jam a servitutis exitu a Judæis idolis præstito, ad *βιβλον των Προφητων*. Quo satis clare docet, se vatis Amosi oracula hic allegare. Neminem enim mos ille antiquissimus, quo Judæi usi fuerunt in divinis Oraculis enumerandis, fugere potest. Tres scilicet apud illos erant Scriptorum *θεοπνευςων* partes, תורה, נביאים et כתובים. Posteriorum vatum, nimirum Esaiæ, Jeremiæ, Ezechielis monumenta singula, separatis asservabant voluminibus, quod ex Luc. IV. 17. apparet. Reliquos autem duodecim posteriores uno volumine continebant. Quo factum est, ut cognomine תרי סר vel תרי עסר appellentur. Rationem hujus collectionis profert R. ABARBANEL in Præf. ad Esaiam ex Gemara d) שלהיות נבואות תרי עשר נבואות קטנות קבצו כלם בספר אחד: *quia vaticinia duodecim istorum vatum parva; hinc compegerunt* Viri Synagogæ Magnæ *ea omnia unum in librum.* Qvem ordinem etiam sancti N. F. Amanuenses sæpissime sunt secuti e). Qvando enim ex Esaia, Jeremia aut Ezechiele quædam verba allegant, non raro addunt Prophetæ nomen, e. c. Matth. II. 17 III. 3. IV. 14. VIII. 17.

d) *Vid. VOISIN. Com. in Raym. Pug. fidei fol 118. edit. Lips.*

e) *Alius quoque allegandi modus in N. F. observatur, quo D. N. J. C usus est, qui nude dicit: SCRIPTUM EST, nullo addito nomine; quem Joannes etiam sequitur.*

17. XII. 17. XXVII. 9. f) Luc. III. 4. IV. 17. Act. XXVIII. 25. Cum vero ex תריסר aut Pfalmis quædam, Matthæus utitur nudo Prophetæ vocabulo, Matth. II. 5. 15. XIII. 35. XXI. 4. XXVII. 35. Ita etiam Lucas, aut potius Stephanus, hoc loco provocat ad βιβλον των πρоφητων, h. e. ad minores Prophetas, eorumque Amosum.

Qvivis


f) *Qua occasione non prætereundi sunt, qui statuunt, in citato loco Matth. XXVII. 9. ZACHARIAM scriptum esse, incuriam autem atque imperitiam librariorum hoc nomen mutasse in JEREMIAM. Cui sententiæ, a multis jam sufficienter refutatæ, hoc etiam opponi posse videtur. Si Matthæus ad Zachariam respexisset, nudum Prophetæ vocabulum adhibuisset, his utens verbis:* δια τȣ πρоφητȣ, *omisso vatis nomine, quia omnibus in locis supra allegatis hunc observamus modum. Celeb. quidem LIGHTFOOTUS in Horis Talmud. in b. l. p. 483. edit. Lips. hanc difficultatem ex Talmude solvere studet. In Bava Bathra enim fol. 14. 1. traditur a Rabbinis, Jeremiam primum Prophetarum locum in volumine obtinuisse, quod etiam R. MOSES in Summa Talmudica Tract. de Libro Legis c. 7. §. 15. profert. Rationem addunt:* quia liber Regum כיון דמלכים סופיה חורבנא וירמיה כוליה חורבנא terminatur in excidio, et Jeremias totus agit de excidio. *Hinc pergunt* סמכינן חורבנא לחורבנא הנחמתא לנחמתא: coniunxerunt excidium cum excidio, et consolationem cum consolatione. *Hunc morem Matthæum etiam secutum esse, dicit LIGHTF. & sub nomine Jeremiæ citasse tantum verba e volumine Prophetarum, quia primum locum tenebat. Cui sententiæ tamen aliqua obstant. Primum enim Talmudis auctores non loquuntur de ipso voluminum ordine, quo tunc temporis utebantur; sed consilium præbent, quomodo volumina in meliorem colligi possent ordinem. Quod ex solidissima R. ABARB. refutatione in Præf. ad Esaiam probamus, quam VOISINUS in Raym. l. c. commemorat. Si quoque deinde concedatur, eo tempore ejusmodi ordinem in usu fuisse, novus tamen erat. Ita enim citatus ABARB. dicit:* אמנים קרמונינו בני הגולה לא נהגו כן כי אם להקדמים ישעיהו ואחריו ירמיהו ואחריו יחזקאל ואחריו תרי עשר: certe majores nostri filii captivitatis non diviserunt ita; sed potius primo loco posuerunt Jesaiam, post illum Jeremiam, tunc Ezechielem, postremo duodecim Prophetas. *Tandem Matthæus ipse contradicit huic asserto. In allegando enim uno ex duodecim, dicit* δια τȣ πρоφητȣ, *ex majoribus autem addit Prophetæ cognomen. Num vero Jeremiæ vox ab alio margini sit apposita, & tandem a librariis textui inserta, quia SYRUS omisit; an vero Matthæus ad Jeremiam quidem respexerit, non vero ad ejus oraculum litteris consignatum; sed ad aliud per traditionem asservatum, quod fortasse occasione agri a patruo emti Jer. XXXII. 6 ore protulit, quod vaticinium Zacharias litteris commendavit. Quam sententiam B. DORSCHEUS in Com. in IV. Evang. p 660 tuetur,* Divini illi Viri, *inquiens,* quando historiis scribendis erant intenti, animum ad varia vaticinia V. T. retorserunt. *His sententiis dijudicandis non immorabor, quia ad sco-*

§. V.

Qvivis autem facile perſpiciet, D. Lucam LXX. Senum verſionem in omnibus ferme eſſe ſecutum. Non nulla tamen occurrunt in Luca, atque in græca verſione, quæ ab Amoſi verbis diſcedere videntur. Meum itaque eſſe cenſeo, ut primo loco græcam interpretationem cum ſancti Flaminis verbis conciliem. Qvibus factis & conciliationem Amoſi cum Luca inſtituam. Non huius eſt loci inquirere, quo ſermone uſus ſit S. Stephanus, an Syriaco, quæ lingua tunc temporis apud Judæos ita uſu recepta erat, ut Hebraica in Synagogis duntaxat ex Paraſchis & Haphtaris audiretur; an vero Græcorum ſermone Protomartyr coram Synedrio ſit locutus? Huius enim linguæ Judæos expertes non fuiſſe, ſed illius ſatis peritos, ex ſacris Pandectis g) ipſisque Judæorum monumentis h) conſtat. Satis erit hac in diſſertatione docuiſſe, Stephanum cum Amoſo ex aſſe convenire.

SECTIO I.
DE COLLATIONE LXX. VIR. CVM AMOSO.

§. I.



Quid de vulgari iſta græcæ verſionis denominatione ſit ſentiendum, nimis eſt ambiguum, illudque inveſtigare ab hoc ſcopo eſt remotius. Quia etiam non parvus eruditorum numerus eſt, qui iſtud perſcrutantes illuſtrarunt i), mihi hac vice uſu receptam τῶν O' appellationem retinere liceat. Quorum verba ante omnia cum textu avthentico ſunt comparanda.

§. II.

Primam vocem הזבחים reddiderunt μὴ σφάγια, & quia מנחה apponitur, quod θυσίας ſunt interpretati; non immerito quæritur, num rite

pum hunc non pertinent, et harum neutra integritatem ſacrarum Pandectarum corrumpit.

g) *v. c. Act. XXI. 37. coll. 39. 40.*

h) *Sic* JOSEPHUS, PHILO JUDÆUS, *aliique græcis litteris ſua conſignaverunt monumenta.*

i) *vid. Celeb. D. J.* GOTTL. CARPZOVII *Crit. S. P. II. C. 2. in quo ex inſtituto hanc materiam pertractavit, omnesque ferme Scriptores commemoravit.*

rite hæc vocabula verterint? Cum enim alia loca conferemus, τες O' frequentissime το זבח per θυσιαν exprimere, patebit. Imprimis in compositione cum מנחה e. c. Psal. XL. 7. Es XIX. 21. Jer. XVII. 26. Dan. IX. 27. aliisque in locis, in quibus autem posterior vox, מנחה nimirum, varie redditur. Hujus autem vocabuli זבח idea generalis est *mactare*, accessoria vel *holocausti* speciem, quando vero Deo aut idolis offertur, vel *mactationem ad sacra peragenda* denotat. Quo sensu ut plurimum sacris in Pandectis adhibetur. Ita etiam hoc in loco sacrificii ideam involvit, quam ex consequentibus perspicimus, quia Jova ex Judæis quærit, num sibi an potius idolis τα זבחים attulissent? Recte itaque JONATHAN Paraphrastes hanc vocem נכסת קודשין est interpretatus.

§. III.

Quem vero ad modum זבח cruentam, ita מנחה semper incruentam significat oblationem. Ideam hujus vocis *oblationem* esse dico, quia verbum apud Arabes adhuc usitatum *donare*, *offerre* denotat Luc. XI. 13. Joh. XIV. 27. sive Deo, sive hominibus donum istud exhibeatur. Quo factum est, ut ubique ferme CHALDÆUS, sicut nostro in loco, hanc vocem per קורבן exprimat. Cum quo SYRUS ܩܘܪܒܢܐ et ÆTHIOPS ቍርባን reddentes conspirant. Quod autem SYRUS in Actis has voces σφαγια και θυσιας reddit ܢܟܣܬܐ ܐܘ ܕܒܚܬܐ sensum non corrumpit, et fortasse statuit, hæc vocabula hoc loco esse Synonyma, quia, ut supra observatum, θυσια in plurimis LXX. Vir. et bonorum auctorum monumentis cruentum holocaustum significat. Sensus etiam τε θυειν & σφαττειν k) unus est, et mactationem notat. Hinc nonnulli eruditorum θυσιαν semper l) mactationem significare contendunt. Quia vero hoc in loco τω σφαγιω opponitur, oblationem inanimatam notare judico. Quam notionem etiam aliis in locis LXX. Viri huic voci imponunt. Nec non a probæ notæ auctoribus munera incruenta θυσιαι dicuntur. Quem in modum HOMERUS Iliad. I. v. 219. 220. canit:

- - - θεοισι δε θυσαι ανωγει
Πατροκλον ον εταιρον, ὁ δ' εν πυρι βαλλε θυηλας.
- - - Diis autem sacrificare jussit
Patroclum amicum suum, qui igni injecit libamenta.

Ex

k) *Quæ vox aliorum judicio ex Hebræo* זבח *originem traxit.*

l) *Clar. autem BOS, a Celeb. WOLLIO in BLACKWALLI Critica S. p. 426. citatus, profert, antiquiores Græcos odoramentis utentes, θυειν hunc sacrificandi modum nuncupasse.*

Ex quo loco satis clare apparet, θυειν & θυσιαν etiam oblationes sacras inanimatas vocari. Eandem ideam habet in Patrum monumentis θυσιαζειν & θυσιαςηριον m), quorum prius sacra peragere Christiano more, et posterius sacram Eucharistiæ mensam denotat.

§. IV.

Hæc sacrificia et munera Hebraicam linguam loquentes במדבר *in deserto* non Summo Numini, sed idolis, et quidem ארבעים שנה *quadraginta annos* obtulerunt. Non frustranea erit, meo judicio, annotatio de primaria vocis מדבר et ερημȣ idea, quam viri eruditi protulerunt CHALDAEVS eodem utitur vocabulo במדברא, quem SYRVS ܒܡܕܒܪܐ reddens sequitur. Quod vocabulum ex דבר ortum traxisse, nec illum latere potest, qui Hebraicam linguam obiter duntaxat degustavit. B. CARPZOVIVS n) dicit, κατ' αντιφρασιν ita vocari, quia ibi nullus sermo, nulla loquela. B. STOCKIVS o) hanc duplicem profert rationem, tum quatenus ducere significat, quia eo pecora ad pascua duci solent; tum quatenus loquendi notionem obtinet, quia ibi cuncta resonant, echo voces reddit et quasi reducit. Græcam vocem alii ab ειρω, *necto*, *implico*, alii ab ερεω *evacuo* descendere judicant. Mihi autem magis videtur ab ερεω *dico* derivari posse, et quidem a perfecto pass. ειρημαι. Articulus in græca translatione additus, εν τη ερημω non otiose est positus. Quin potius, ut ex Hebræo etiam idiomate בַּמִּדְבָּר cognoscitur, qua in voce ה τȣ הַ' הידיעה demonstrativum omissum per Patach compensatur, certum indicat desertum, Arabiæ nimirum, in quo per quadraginta annos Israelitæ sunt commorati. Quod autem Summum Numen certum annorum tempus designat, non immerito quæritur, quomodo sit intelligendum. Modernorum Judæorum sapientes *decem* numerant majorum

B

m) *in Historia Græca CHRISTOPH. ANGELI Peloponesi a GEORG FHELAV Gedani edita. Cap.* 23 και μετα ταυτα ιςανται εγγυς της πυλης τȣ θυσιαςηριȣ, οπȣ ο ιερευς θυσιαζει. *Nimis certe insulse ex hoc vocabulo probare conatur BELLARMINVS L. I. de Missa c.* 2. *adhuc in N. F. dari sacrificium, nempe Christi, quod sacerdotes immolent. Hæc enim loquendi formula,* ο ιερευς θυσιαζει *nil aliud infert, quam quod verbi divini minister res externas et visibiles ad sacrum usum præparet. Ita etiam sacra mensa* θυσιαςηριον *vocatur, quia de ista corpus et sanguis Christi,* ος παρεδωκεν εαυτον υπερ ημων προσφοραν και θυσιαν *Ephes. V.* 2. *præsentibus exhibetur.*

n) *in Esaias Predigten P. III. p.* 103.

o) *in Clave S. Linguæ V. T. sub voce* דבר.

rum ſuorum tentationes, quibus benigniſſimum Numen in deſerto tentaverunt, quia Num. XIV. 21. Jova dicit עשר פעמים *decies* me tentaverunt. Ita enim in PIRKE ABHOTH p) ſcribunt: עשרה נסיונות נסו אבותינו את המקום במדבר שנאמר וינסו אותי זה וכו׳ i. *decem tentationibus tentaverunt majores noſtri Deum in deſerto, ut dicitur* loco cit. *et tentaverunt me. cet.* Hujus autem peccati nullam faciunt mentionem, ſed, meo judicio, ad vitulum aureum referunt, quod non impugnabo. Synecdochicam profert DRVSIVS q) expoſitionem, ut ſit ſenſus: quadraginta *fere* annos Judæos non obtuliſſe Deo ſacrificia. Cujus ſententiæ quoque ſubſcribo altera in parte nonnullis illam corroboraturus rationibus.

§. V.

Cujuscunque itaque generis ſacrificia et munera Judæi offerebant, ut plurimum idolis ſibi fictis iſta exhibebant. Quod res ita ſe habeat, patet ex ſequentibus ונשאתם את סכות מלככם. Quæ verba in græca verſione ita exponuntur: *καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ.* Ante omnia de particula ו quærendum, quomodo ſit reddenda? Variis enim, pro contextus ratione, hanc litteram gaudere ſignificatibus, non eſt, qui ignoret. Qua ex re Cel. HEINSIVS illam in *Ariſtarcho* Protheum particularum nominat. Vulgata in Amoſo et Actis per *et* exponit, ac ſi copulandi vim habeat. Hoc vero ſenſum non magis exprimit, quam GROTIANA Verſio r), quæ *nunc vero etiam* hanc particulam reddit. Hujus enim judicio antecedentia verba affirmative eſſent reddenda: Obtuliſtis *quidem* mihi ſacrificia et munera, *nunc vero etiam* portaſtis, cet. Sed quis quæſo inficias ibit, omnibus in linguis interrogationes affirmative poſitas, s) emphaticam involvere negationem? Exinde igitur ſequitur, particulam ו antecedens et conſequens non connectere, ſed potius disjungere, atque vim corrigendi *imo*, *quin potius*, habere, ut

p) *Cap. V. §. 4. R. MAIMON. tentationum numerum ita profert: I) deſcribi Exod. XIV. 11. II) XV. 24. III) XVI. 3. IV) com. 20. V) com. 7. VI) XVII. 3. VII) XXXII. 1. VIII) Num. XI. 1. IX) com. 4. X) XIV. 22 Ex locorum autem collatione apparet, hanc ſupputationem non eſſe firmam. Et hæc loquendi ratio frequenter uſitata numerum incertum involvit, et per* ſæpe numero *exponitur, vel* פעמים רבות *ut R. S. MELECH ad Geneſ. XXXI. 7. interpretatur.*

q) *In Bibliis Criticis Anglicanis ad Amoſum.*

r) *a POLO in Synopſi ad Amoſ. citata.*

s) *Vid. B. GLASS. Phil. S. L. IV. Tract. I. Obſ. I. not. 2.*

ut B. GLASSIVS t) multis exemplis illuſtrat. Ejus itaque ſenſus idem eſt quem הלא aut אם שׂ הׂהשאלה oppoſitum Gen. XXXI. 14. 2. Sam. X. 3. 2. Reg. IV. 28. Ezech. XVIII. 23. aliisque in locis exhibet. Quam expoſitionem etiam textus *συναφεια* expoſtulat. Opponit ſibi Jova idola, dicens, Judæos iſta coluiſſe, a vero Deo autem diſceſſiſſe. Munera itaque ſua Iſraelitæ non Summo Numini, ſed imaginibus obtulerunt. Conſentientes hac in re habeo verſionem SYRIACAM in Amoſo et Actis ܐܠܐ reddentem, aliosque interpretes a POLO citatos. Et bene ſenſum τε ו expreſſit MEGALANDER noſter in Amoſo *ja wohl* interpretatus. Nec græca translatio *και* exponens adverſatur, ſenſum enim *τε αλλα* habere, luculenter apparet. Quo ſenſu non ſolum *ὁι* O' ſed etiam Apoſtoli *και* cum *μη* conſtruunt, Jud. XI. 25. 26. Ezech. XXII. 2. XXIII. 36. Joh. VI. 67-69. An vero ſecundum PISCATOREM et BEZAM hæc conſtructio Hebraiſmum ſapiat, non diſquiram, cum eodem ſenſu particula *και* cum *μη*, vel alia interrogandi voce conjuncta apud græcorum ſcriptores inveniatur. Perinde tamen erit, ſive Græciſmum, ſive Hebraiſmum ſapere ſtatuas; ſatis habeo annotaſſe, hanc loquendi rationem in græca verſione non minus quam in N. F. inveniri.

§. VI.

Sed de כשאתם quæritur, quomodo ſit exponendum. Quidam per *honorare* exponunt. Quam notionem ſi quis acceſſoriam eſſe dicat, ferri poterit, quia honoris cauſa ſimulacra iſta humeris portabant. Alii vero in opprobrii ſenſum vertentes de futuro exponunt, *et portabitis*, cum nimirum in captivitatem ducemini. Quam ſententiam R. SALOMO vulgo JARCHIVS u) ad hunc locum profert. Dicit enim, quod Aſſyrii ducentes X. Tribus in captivitatem poſuerint idola, quæ coluerant, ſuper humeros eorum in itinere; ut ſic appareret, quod dii, quos colebant, non potuerint eos tueri contra Aſſyrios. Verba eius ita fluunt: חוזר לענין הפורענות שלמעלה חשך לכם יום יי׳ ולא אור ונשאתם בגולה עמכם את גילוליכם ירכיבום האויבים על צואריכם לשאת עמכם בגולה i. *revertitur nunc ad materiam comminationis, de qua ſupra*, com. 18. dicens: *tenebræ ſunt dies Jovæ et non lux, et portabitis in captivitatem*

t) l. c. Obſ. VII not. 3.

u) *Quo cognomine ſe non ſatis mirari confitetur ACOLVTHVS in Aquis Amaris p. 2. quod litteræ* רשי *ab omnibus eruditis ſint R.* Salomo Jarchius *expoſitæ, cum tamen* R. *ISACIDES ſit efferendum, quod ex nonnullis probat Rabbinorum monumentis.*

vitatem vobiscum idola veſtra, nam *imponent illa hoſtes veſtri ſuper collum veſtrum, ut ea portetis vobiſcum in captivitatem.* Quæ ſententia nec DRVSIO placet, quia Grammaticæ regulis et Sancti Flaminis ſenſui repugnat. BEZA ſtatuit v), Iſraelitas nihil tale in deſerto feciſſe, hinc ad nullum tempus eſſe referendum; ſed Deum reprehendere primum hypocriſin hujus gentis, quod ſimulate in deſerto Deum coluerint, et poſtea ſubiicere, tandem eos in apertam erupiſſe idolomaniam. Qvod autem hæc expoſitio textui e diametro repugnet, ex ipſis verbis quivis facile perſpiciet, dum Amos certum idololatriæ huius tempus locumque deſcribit. Qvam ulteriorem expoſitionem alii occaſioni, volente Deo, aſſervabo. Propriam huius vocis retineo notionem, qua *levare, elevare, extollere* ſignificat. Cui vocabulo et ſenſus et etymi reſpectu AETHIOPICUM ጾርክሙ eſt conforme, quod ex hebraico נשא ortum traxit. Hoc in loco autem cum acceſſoria idea exponi poteſt, extuliſtis in humeros ad portandum, quo ſenſu perſæpe de arca fœderis נשא legitur Joſ. VI. 12. 1. Reg. II. 26. Ita quoque R. SAL. BEN MELECH de portatione cum onere coniuncta hoc verbum exponit ענין הטעינה והמשא *ſignificat onus et portationem.* Conſentit hac in re cum AETHIOPICA etiam ARABICA Verſio, nec non SYRIACA, quarum prior وَأَخَذْتُمْ et poſterior ܘܛܥܢܬܘܢ hanc vocem reddit. Quod autem GROTIVS ex Chaldæo Interprete probare ſtudet, binos fuiſſe, qui idolum hocce portaſſent, non invenio. His enim verbis CHALDAEUS reddit ונטלתון ית סכות וכו׳. Terminatio autem תון non ſignificat *vos bini*, ſed vos in Plurali numero x). Nihil etiam abſurdi eſt, dicere, ſingulos numero eiusmodi ſimulacra portaſſe, non enim tantæ molis erant, ut duo ad portandum requirerentur. Qvem morem ex Eſa. XLVI. 7 confirmare poſſum ישאהו על כתף *portant illum Deum ſuper humeris* religioſi cultus cauſa, quibus verbis ſimul Judæorum dementiam Summum Numen exprobrat, quod aurifabri opus ſibi Deum eligerent, talem Deum, qui ab opifice ſuismet pedibus diſcedere non poſſet, ſed humeris deportari opus haberet. Huc perti-

v) *a POLO in Actis citatus.*

x) *Qua terminatione etiam ARABES* تُمْ *et SYRI* ܬܘܢ *utuntur, AETHIOPES vero hanc perſonam pronomine* ክሙ, *quod* כם *Hebræo respondet, exprimunt.*

pertinent etiam Baruchi verba Cap. VI. com. 4. al. 3. y) *νυνι δε οψεσθε εν Βαβυλωνι θεους αργυρους και χρυσους και ξυλινους επ ωμοις αιρομενους* in pompam scil. ut adorarentur, addit enim *δεικνυντας φοβον τοις εθνεσιν*. Spectant etiam huc verba Esa. XLV. 20. הנשאים את עץ פסלם ומתפללים אל אל לא יושיע׃ *portantes lignum sculptilis sui et adorantes Deum, cui nulla salus.* Et ita gens Judaica in deserto Aegyptiorum mores est secuta, qui Anubim præcipue publica pompa circumferebant, summisque gemitibus ac eiulationibus mortem Osiridis in memoriam revocantes plangebant; vestiti longa, eaque linea toga, portabant supra caput statuam Anubis *κυνοκεφαλου*, sunt verba ATHAN. KIRCHERI z). Eisdem fere verbis describit EVSTATHIVS in Iliad. Δ. hancce ceremoniam: *Εν Διοσπολει μεγιςον εςι Διος ιερον, αφ ου λαβοντες Αιθιοπες Διος ξοανον και αλλων δαιμονων συν αυτῳ, κατα τινα καιρον τεταγμενον περιοστουσι τα κατα την Λιβυην, και πανηγυριζουσι πολυτελως επι δωδεκα ημερας, επει και τοσουτοι παρ αυτοις θεοι Diospoli grande est Jovis delubrum, unde id accipientes Aethiopes simulacrum Jovis et aliorum Deorum, ad certum tempus per Libyam ea circumeunt, publicaque in celebritate magnifice duodecim diebus feriantur, quoniam totidem habent Deos.* Qvibus ceremoniis alia etiam idola ab Aegyptiis, aliisque gentibus a) religiose fuerunt culta. Eiusmodi qnoque ex HERODIANO Lib. V. refert SELDENVS b) ceremoniam, qua omnium cœlitum simulacra quotannis Romani æstivo solstitio Alagabalum Deum pretiosissimo curru vectum comitabantur.

§. VII.

Eundem in modum sumserunt Judæi et portarunt את סכות. Vera huius vocis notio multum in investigando cruciavit interpretes, quia secundum Masoretharum placita his punctis signatum *απαξ* est *λεγομενον*. Qvatuor sunt huius vocabuli explicationes. Nonnullis est idolum proprio nomine ita vocatum, vel stella, cui hæc denominatio sit addita, quod R. D. KIMCHI et R. SAL. ISAC. proferunt. Qvorum ille dicit, וסכות שם ע״ז Hic

y) *In græca lingua inscriptio bujus cap. est επιςολη ιερεμιου, ac si hæc verba essent istæ litteræ, quarum Jerem. XXIX. 1. fit mentio, quæ tamen in isto capite exstant Hinc falsa et suspecta inscriptio est habenda.*

z) *In Oedipo Ægypt. Synt. III. C. IX fol. 224.*

a) *Vid. SPANHEMIVS in notis ad CALLIMACHVM p. 722. ALOYSIVS NOVARINVS L. II sacror. elect. C. 2. p. 229. et quos affert THEOPH. AMELIVS T. I. der Erörterung der dunckelsten Schrifft Stellen des Alt. Test.*

b) *de Diis Syris Synt. I. c. 6. p. 190.*

Hic autem סכות כיון כוכב שמות ע״ז חן. Eodem ſenſu JONATHANEM hanc vocem accepiſſe ex Paraphraſi apparet, qui iſtam non interpretatus eſt. Quorum ſententiæ etiam BEN MELECH in *Michlal* ſubſcribit: ואפשר שיהיה סכות שם האלוה שהיו עובדים: *Probabile eſt, quod* סכות *ſit nomen idoli, cui ſervierunt.* Profert etiam ſecundam huius vocis explicationem, qua ex סכת in Hiphil הסכית *auſcultavit* alii deducunt, q. d. auſcultaſtis cultui idololatrico. Verba ex KIMCHIO deſumta hæc ſunt: מענין הסכת ושמע מאזינים לעבודת עבודה זרה כלומר קבול עבודת מלככם: i. *ex ſignificatione* Devt. XXVII. 9. *attende et audi, attendentes cultui idoloiatrico, q. d. doctrinam* ſc. portaſtis *cultus regis veſtri.* Alii eandem ſubſtituunt radicem, et exponunt per *imaginem*, et סכות ſit pro שכה poſitum. Quam ſententiam GVSSETIVS c) defendens has profert rationes: Alii vertunt tabernaculum ad rad. סכך recurrentes. Sed non datur a duplici ſecunda tale derivatum. Deinde ſequitur το סכות το צלמכם, ei autem non incommode reſpondebit סכות, ſi deducatur ab הסכת, hoc autem exponatur per שכה ut affine; nam ab hoc מַשְׂכִּית eſt quoque *imago corporea.* Verterunt quidem LXX. *σκηνην*, et eos Lucas ſecutus eſt - - Ipſi autem LXX. vertunt, quaſi legeretur סֻכּוֹת Hæc GUSSETIUS. Cum quo conſentit R. OBADIA SPHORNO d) ab ABENDANA in *Michlal* citatus, qui ציור *imaginem* reddit. Mihi autem videtur cum aliis סכות denotare *tabernaculum*, et idem eſſe ac סֻכָּה. Quodſi enim τὸ סכות ab הסכית deduceremus, nullum apparet inter *auſcultare*, et *imaginem* tertium, quod quidem GVSSETIVS ex affinitate τȣ שכה eruere ſtudet. Sed aliud eſt שכה *adſpexit, imaginatus eſt, finxit*; aliud סכת quod *auſcultare* ſignificat. Urget quidem צלם quod ſequitur, hinc סכות dicit per *imaginem* eſſe reddendum. Aſt tunc eſſet tavtologia, hic enim ſenſus: Portaſtis *imaginem* regis veſtri, et Chiun *imagines* veſtras. Nonne vides, צלמיכם ad כיון et מלככם reſpicere, quæ idola ſub ſpecie quadam arte confecta religioſe coluerunt. Terminatio enim τȣ צלמיכם ſatis clare nos docet, plures efformatas fuiſſe imagines et מלך et כיון in ſe comprehendere. Hinc סכות aliam notionem habere, neceſſe eſt. Quod autem GVSSETIVS objicit, ejuſmodi derivata a geminatis non inveniri, concedam. Dico enim in ſtatu con-

c) *in Comment. L. Ebr. ſub voce* סכך.

d) *Eſt R. OBADIA BEN JACOB SPHORNO in* אור יהוה *ſeu Commentar. in Pentat. Vid. Cel. WOLFII Biblioth. Hebr. Vol. III. n. 1763. p. 866.*

conſtructo loco סֻכַּת quod tabernaculum ſignificat, eſſe poſitum. Hoc enim nemo negabit, multa in ſacris Pandectis occurrere vocabula, quæ contra regularum Grammat. modum aliis punctis inſigniuntur, et quidem perſæpe dialecto e) quadam tunc temporis Tribui iſti propria. Videtur itaque et hoc סכות ejuſmodi ad dialectum Judæorum genti tunc ſatis cognitam poſſe referri. Ex ſequentibus enim patebit, τo סכות SACELLUM, et כיון צלמיכם FORMAM idoli denotare. Ita etiam כיון videtur non vulgari loquendi ratione eſſe pronunciatum, ſed ſingulari dialecto prolatum. Baſis enim Hebræo idiomate מכון et מכונה vocatur, de qua voce infra pluribus. Defendunt etiam hanc explicationem non pauci hunc in locum bonæ notæ Commentatores f), et Verſiones Orientalibus linguis exaratæ g) quæ TENTORIUM hoc vocabulum interpretantur. Si quoque ponamus, τo סכות apud Amoſum *imaginem* denotare, exinde tamen LXX. Viri non ſunt taxandi, quod σκηνην h) reddiderint. Deſcribunt enim *continens* pro *contento*, ut cum Rhetoribus loqui liceat. Hoc enim Ægyptii, aliæque gentes utebantur inſtituto, ut ξοανα vel parva ſua ſimulacra in lecticis poſita in pompa i) deportarent. Quæ σκηνη eundem indicat ſenſum, quem ναισκος aut ναος ξευγηφορȣμενος k) ut EVSTATHIVS ad Iliad ι. loquitur.

§. VIII.

Plus difficultatis eſt in vocabulo מלככם quod οἱ Ο' Μολοχ ſunt interpretati, pro quo in Actis Codex D. THOMAE MONTFORTII l) et LINCOL-

e) *Quibus de Dialectis M. J. DAN. KIESLING duas in noſtra Academia ventilavis Diſſertationes.*

f) *Qui in POLI Syn. perlegi poſſunt. Allegam duntaxat JVNIVM, qui etiam* tabernaculum *expoſuit et ſtatuit, hoc* סכות *eſſe tabernaculum Dei vivi, cui ſpecie" quidem miniſtraſſent, re autem vera Judæos coluiſſe Melecum Hammonitarum" Deum.* "

g) *ARAB. in Amoſo* خَيْمَة *in Actis* مَظَلَّة *AETH.* ደብተራ *SYRIACA* ܡܫܟܢܐ tabernaculum *exprimunt.*

h) *Quæ vox ex Hebræo* שְׁכַן *exſculptam eſſe nonnullis videtur. Syriacum vocabulum ex Hebræo eſſe, nemo negabit.*

i) *Multis hos mores illuſtravit exemplis SELDENVS de Diis Syris Synt. I. c. 6. p. 190 ſqq.*

k) *Plura dabunt cum POLO, BIBL. CRIT. ANGL.*

l) *Quem ipſe MILLIVS Sect. 1379. Proleg. recentiorem et minus accurata manu ſcriptum eſſe affirmat. Genuinam itaque, quæ in noſtris Codd. legitur, crediderim lectionem.*

COLNIENSIS, MILLIO teste, Μολοχ constituunt. Quæritur autem, quo sensu vox ista sit reddenda, et quale idolum hoc nomine religiose sit celebratum? Jam commemoravi, quod LXX. Μολοχ transtulerint, quibus cum ARABS مُولُوخ ÆTHIOPS ሞሎሕ SYRVS ܡܠܟܘܡ reddentes conspirant. CHALDAEVS autem פַּתְכּוּמְרַכוֹן m) *sacerdotes vestri* reddit, quo vocabulo etiam Zeph. I. 5. מלכם exposuit. Reliquas denominationes, quibus Melcom, Milcom, Malcem, Melech interpretes transferunt n), merito omitto, quia ex diversitate dialectorum ortæ videntur. Ammonitarum enim dialecto מִלְכוֹם pronunciatur 1. Reg. XI. 5. 33. 2. Reg. XXIII. 13. quod Judæi מַלְכּוֹם Jer. XLIX. 1. efferunt. Generalis autem denominatio est מוֹלֶךְ 1. Reg. XI. 7. coll. 5. 2 Reg. XXIII. 10. Jer. XXXII. 35 aliisque in locis. Occurrit etiam מְלֶכֶת Jer. VII. 18. XLIV. 17-19. Eundem in modum idolum Astaroth et Astarthen, Astoreth, Astarath, Astartha appellatur. Quamvis vero hæc nomina, et quæ alia, re ipsa sibi sunt conformia, cultu tamen quædam differunt, ut doctus Lector facile perspiciet. Descendunt a מלך o) *Rex*, et כם nostro in loco est pronomen affixum. Hinc etiam nonnulli cum DRVSIO LXX. Senes carpunt, quod, omisso pronomine, nimia licentia Moloch reddiderint, cum tamen aliis in locis, vel ideam hujus vocis expressissent, vel cum addita expositione hoc vocabulum asservassent. Sic e. c. 1. Reg. XI. 5. 33. vertunt *βασιλει ειδωλω υιων Αμμων*. Jer. XXXII. 35. *τω* Μολοχ *βασιλει*. Lev. XVIII. 21. *και απο του σπερματος σου ου δωσεις λατρευειν αρχοντι*, quæ vox etiam Levit. XX. 2-5. occurrit, quibus in locis Hebræus Codex מולך posuit. Viri itaque isti מלככם appellativum esse putantes, malunt *Regis vestri* interpretari, quia nomina propria cum affixis nunquam componantur. Negari quidem non potest, *τους* Ο' sexcenties in versione peccasse, quod vel ex hoc unico vocabulo luculentum est. Perperam enim Levit. XVIII. XX. מולך *αρχοντι* trans-

m) *Ita exstat in editione ANTVERPIANA, et in Bibl. BVXTORF. In VENETIANA autem* פַּתְכַּרְכוֹן imago vestra, *ut MARTINI in Lex. Philol. sub voce* Melchom *profert.*

n) *Qui eas perlegere cupit, evolvat POLI Synops. l. c. et SELD. l. c. p. 137.*

o) *Non insulsa erit annotatio de voce* አምላክክሙ *qua ÆTHIOPS* το אלהיכם *exprimit, cujus radix* መለከ *ex Hebræo* מלך *descendit, et* imperavit *significat.*

transtulerunt, quia nomina propria in ſua lingua ſunt retinenda, aut rite exponenda, quam regulam 1. Reg. XI. & Jer. XXXII. obſervarunt. Nec illa verſio p) 2. Sam. XII. 30. 1. Par. XX. 2. videtur probanda, *και ελαβε (Δαβιδ) τον ϛεφανον Μολχομ τȣ βασιλεως αυτων κ. τ. λ.* quia hinc ſuſpicio naſci poſſet, hujus regis cognomen Molchom fuiſſe, cum tamen מַלְכָּם duntaxat legatur; cujus ſenſus apud interpretes anceps eſt, an *dux* Ammonitarum, an eorum *idolum* hic intelligatur? Mihi videtur eorum *gubernator* hic denotari. Exinde vero non ſtatim eſt concludendum, et omnibus, et hoc in loco, illos hallucinatos eſſe Viros. Addito quidem hæc vox gaudet pronomine, quod propriis nominibus non accidit, ut bene excipitur. Attamen ante omnia exponendum, quid per nomen proprium intelligatur, et tunc LXX. Vir. verſio culpa vacabit. Duplici modo nomina dici poſſe propria, judico. Vel cum denominatio iſta ſingulis individuis ſub una ſpecie competit; vel cum nomen iſtud individua inter ſe diſtinguit, et de uno duntaxat dicitur. Si vero Grammatices terminos ames, *κατ εξοχην* dictum et ſingulare nomen dici poſſe proprium, puto. Rem vocabulo אלהים et בַעַל illuſtrabo, quæ in ſacris pandectis communes ſunt ſimulacrorum denominationes. Sic Jer. XIX. 5. XXXII. 35 Molech appellatur בעל q), quod etiam de אלהים valet, cum de idolis ſermo. In hoc ſignificatu nunquam eſt proprium. Si vero hoc vel illud idolorum individuum hac voce exprimatur, ſive *κατ εξοχην* ponatur, tunc omnino proprium eſt habendum, et magna cum emphaſi hoc nomen ponitur, quo res iſta digito quaſi monſtratur. Ita nemo inficias ibit, *το* בעל proprium eſſe, quo Phœnices et Chaldæi idolum ſuum denominabant. E contrario דָוִד׳ בָבֶל ſunt nomina, quibus hæc individua ab omnibus aliis ſecernuntur. Priori ſignificatu vox poſita omnino affixa patitur, quod ex אלהים aliisque hujus generis vocibus probari poteſt. Hinc etiam בעל gaudet affixo בעלי Hoſ. II. 16. ubique tamen, quo idolum ſignificat, proprium habetur, aliisque in linguis *Baal*, *Baalim* redditur. Quo ſenſu etiam מלככם eſt accipiendum, quod magno cum pondere

poſi-

p) *Male etiam vocem* כבל *2. Sam. III. 33. ut nomen proprium ſunt interpretati: ει κατα. θανατον Ναβαλ αποθανειται Αβεννηρ.*

q) *Ex quo uſu fortaſſe deſcendit* Beelſemen, *quod idem eſt ac* בעל שמים dominus cœli, *quo Belus ille Aegyptiacus inſigni aſtrorum cognitione eruditus, eſt appellatus. De quo plura exhibet* ATHAN. KIRCHERUS *in Oedip. Aegypt. Synt. IV. c. 4.*

positum singulare indicat numen, et affixum כם hoc loco eandem, quam ה demonstrativum, habet ideam, ut sensus verborum ונשאתם ככות מלככם sit, *quin imo portastis tentorium* illius idoli *Molechi*, quod *vobis* effinxistis, non enim multo post addit Amosus אשר עשיתם לכם Noli tamen credere, *Moloch* esse hujus idoli nomen, quo ab aliis fuerit distinctum, aut illud esse idolum, quod persæpe in sacris Pandectis *Moloch* audit, nimirum *ειδωλον των* Μωαβιτων r) ut OECUMENIUS ait. Sed potius *τω* מלכת apud Jeremiam est conforme, et uti dixi, *κατ εξοχην* ita appellatur, quia Judæis præclarissimum inter stellas erat idolum. Bene sensum exprimit KIMCHIUS s) מלככם אמר על כוכב שנעשה ע"ז על שמו' וקורא אותו מלך לפי שהם חושבים אותו למלך עליהם' או שהוא כוכב גדול בצבא השמים שהוא כמלך על צבאו' i. *Dicit Amos Malcechem, de stella, quam idololatrice colebant. Vocat autem istam Molech, vel quia sibi excogitaverunt illam super se regem; vel quia maxima stella in exercitu cælorum, et veluti rex exercituum.* Perinde itaque erit, si dicas, portastis tabernaculum *idoli vestri*, sive *Molechi*, unus sensus permanebit. Sine omni igitur jure LXX. Vir. vitio dari debet, quod מלככם Μολοχ reddiderint, quia idolum istud apud Ægyptios REX COELI vocabatur, ut non multo post probabo. Est quidem hoc vocabulum cum בעל commune idolorum cognomen, quo *Sol*, *Luna*, *Osiris*, *Saturnus* ejusdemque farinæ [alia dæmonia sunt insignita, quamvis hoc loco singulare simulacrum indicatur. Hæc tamen denominatio oraculorum ex perversa æmulatione non venit, ut DRUSIUS et LIVELEIUS judicant, dicentes, morem huncce ex vera pietate promanasse, in qua Summum Ens Rex populi vocetur. Quam sententiam Magnif. noster DEYLINGIUS t) optime discussit.

§. IX

Sed quid ואת כיון quod LXX. Ραιφαν sunt interpretati? DRUSIUS u) dicit: „Non magis chamæleon in colore, quam hoc nomen „variat in Scriptura, ut vel inde merito quis colligat, locum a librariis cor-

r) *Emendare quidem DRVSIVS, et alii, OECVMENIVM audent, dicentes,* Αμμανιτων *esse ponendum. Meo autem judicio ista emendatione non opus est,* Chamus *enim Moabitarum idolum, ut reliqua dæmonia gentium in Oriente habitantium,* Moloch *communi nomine est appellatum.*

s) *In Amosum et Jerem. XLIV.* 17. *sq.*

t) *In Observ. P. II. p.* 434.

u) *In Bibliis Criticis Anglicanis ad h. l.*

„corruptum esse, quare frustra se torqueant viri docti in eo explicando. Quod de variatione scribendi et interpretandi si accipitur, concedendum, exinde tamen non concludendum, locum hunc esse depravatum, quin potius boni interpretis sit, veram hujus vocis eruere ideam. Clar. MILLIUS IX. varias adducit lectiones in N. F. quæ tamen nec vocem, nec sensum corrumpunt, qua de re in Sect. II. plura. Conjectura etiam Viri istius est, LXX. Vir. in codice suo vocalibus destituto τo כיון legisse KEVAN, quod in lingua Persica et Arabica כֵּיוָאן scribitur, et *Saturnum* significat, teste CASTELLO in *Lex Pers.* similitudine autem כ et ר deceptos ריון legisse. Ipsa DRUSII verba sunt: „Constat, Græ„cos ignaros linguæ Hebraicæ multas hujusmodi voces depravasse. Mihi „in tam varia scriptura placet ρεφαν, ita legunt JUSTINUS in Disput. „cum Tryphone, et THEODORETUS in Levit. quæst. 25. Estque vitium, „ut conjicio, a librariis pro κεφαν, nisi potius ipsos interpretes decepit „similitudo, quæ est inter litteras ר et כ, ut legerint ריון absque pun„ctis pro כיון. Postremum non caret exemplo. Nam manifeste legunt „כאש Nah. I. 5 quod transferunt αρχας pro ως το πυρ. Quam sententiam v) ipse B. GLASSIUS tuetur in *Grammat. S. Lib. IV. Tract. III.* Obs. 17. Hæc non sufficiunt, corrigere quoque audet Vir iste ipsos tex„tus apices. Est autem, pergit, Chiun seu Chevan *Saturnus* planeta, „quem Arabes et Persæ כיואן indigitant, quæ appellatio non nihil adju„vat conjecturam meam; næ argumento mihi est, ut credam, veteres „dixisse Chevan non Chiun. Et LIVELEIUS, qui cum DRUSIO facit, quod ρεφαν, non vero ρευαν scriptum legatur, hanc affert ratio„nem, litteras nimirum esse commutatas, quæ propter affinitatem suam „alteram inter se migrationem habent. Quod vero nunc vulgo eo „Actorum loco ρεμφαν scribatur, euphoniæ tribuendum esse.„ Quæ sententia etiam B. BRENTII x) est, LXX. Rephan legisse, et Lucam, cum historiam Apostolorum græce scriberet, græcorum conversione usum fuisse. Sed multi jamjam eruditi Viri pluribus, concinne autem Summe Vener. DEYLINGIUS l. c. ab hoc errore LXX. liberavit Virales, id quod etiam in sequentibus conabor.

C 2 §. X.

v) *Cel. VITRINGA hanc opinionem multis ingeniosis propugnavit argumentis, quæ Præstant. D. JABLONSKI in Tract. de Rempbah a § V. ad VII. solidissime refutavit.*

x) *In Expositione Amosi Proph. etc.*

§. X.

Nimis etiam ſudant Eruditi in excutienda τȣ כיון et *ρεμφαν* etymologia et ſignificatione. THEODOTION reddit *αμαυρωσιν*, THEOPHYL. *τυφλωσιν*, et SCHOLIA in Actis addunt: *το αϛρον ρεμφα ο εϛι σκοτασμος, ειδωλον δε τȣτο Μωαβιτων λιθον εχων διαφανη και εξαιρετον εις εωσφορȣ τυπον επι μετωπȣ ακρȣ*, i. *Sidus Rephan ſunt tenebræ, eſt autem idolum Moabitarum, lapis pellucidus et eximius ad Phosphori* i. Solis *imaginem in frontis extremitate.* Etymon autem τȣ כיון idem eſſe ac כונים, et per *placentas* exponi debere, multi ſtatuunt. Quam ſententiam KIMCHIUS ad Amoſ. et Jerem. adducit, cuius verba BEN MELECH in *Michlal* immutata annotavit : יש מפרשים כיון כמו לעשות כונים שהם מיני מאכלים שמכינים לעבודה זרה לפיכך נקראו כונים ובספר ירמ׳ ז׳ יח׳ מיני מאכלים שהיו מכינים ומגישים למלאכת השמים וכן עשינו לה כונים וכן ואת כיון צלמיכם ואולי קראם כונים לפי שמכונין לבן ודעתן עליהם לעשותן ולהתקנן היטב : i. *Sunt, qui exponunt* το כיון *ſecundum illud, ad faciendum placentas, quæ fuerint ſpecies ciborum, quas formarunt ad idololatriam, quam ob cauſam vocantur* כונים. In Jerem. VII. 18. dicit, *ſunt ſpecies ciborum, quas formarunt et obtulerunt Melechet coeli. Et ita fecerunt illi placentas. Huc quoque pertinet* כיון *et vocat illas fortaſſe Chevanim, quia corda animumque dirigebant ad illas faciendas beneque aptandas.* Nonnulli *Sirium* caniculam ſtellam ſub hac voce intelligunt, quæ Κυων vocatur, quam expoſitionem ARETIUS, et VICTORIN. STRIGELIUS y) amplectuntur. Alii etymologiam huius vocis quærunt in antiqua Italorum denominatione, qua *Chones* vocabantur. Qvod nomen illis impoſitum erat, quia *Chon* cum *Oſiride* Italiam a tyrannide liberaverat, ut ATHAN. KIRCHERUS. z) commemorat. Qvod etiam magnum ETYMOLOGICVM docet : *χωνες εθνες Ιταλικον τον Ηρακλην φασι κατα την των Αιγυπτιων διαλεκτον χωνα, λεγεσθαι δε εις Ιταλιαν, και απ αυτȣ χωνας ονομασθηναι το εθνος* Qvem Herculem vel Chonem cum *Saturno*, qui Rephan audit, ſæpius confuderunt unumque Deum habuerunt, ut KIRCHERUS ſtatuit. Sunt etiam, qui *Anubim* hic ſubintelligunt, qui *Saturnus* eſſe perhibetur, et apud PLUTARCHVM ΚΥΩΝ a) vocatur, quod etiam BOCHARTUS in *Phaleg*. L. I. c. 15. contendit. Per *Sa-*

y) *Plura hac de voce dabit B. GLASSIVS in Phil. S. L. IV. Tract. III. Obſ.* 17.
z) *Quam etymologiam multis perſecutus eſt l. c. fol.* 387.
a) *Qua de re conſulas Magnif. D. DEYLINGII Obſervationes. l. c.*

Saturnum ex lingva Arabica, in qua כיואן Saturnus audit, exponunt omnes ferme Judæorum Magiſtri. Qvorum unus eſt KIMCHIUS, et ex eo BEN MELECH כיון הלא כוכב שבתי וכן נקרא בלשון ישמעאל ופרס כיואן: *Chiun eſt ſtella Sabbathi* h. e. Saturnus, *quæ etiam in lingua Arabica et Perſica Chevan vocatur.* Tandem ſunt nonnulli b) qui *το* כיון *columnam*, *baſin* ſignificare non incongrue dicunt, a rad. כון, quæ in Kal Hebr. *aptare*, *formare* denotat, quam expoſitionem JUNIUS ſequitur in poſteriori Bibl. editione. Qvas varias ſententias ſi inter ſe conferamus, apparebit, *το* כיון ſecundum quorundam placita eſſe Hebraicum, ſecundum aliorum Perſicum, vel tandem Aegyptiacum.

§. XI.

Sic vocis *ρεμφαν* originem omnes ferme Interpretes in Hebraica lingva quærunt, et quidem diverſis iterum modis. Cel. LIGHTFOOTUS c) deducit a רפה *debilitatus eſt*, ex quo eſſet רפיון *debilitas*, LXX. Viros autem hoc idolum opprobrii ergo, ut *Beelzebul*, appellaſſe *Raphan*, coniicit. Non nemo d) *ρaιφαν* eſſe רפאים *Gigantes* iudicat, et כיון eſſe *Chon* Aegyptiacum, quarum utraque vox Herculem denotet. Qvod etiam PETITUS in Var. Lect. c. 1. defendit, multisque exemplis HILLERUS in Onomaſt. p. 122. probare ſtudet. Verba HILLERI addere non pigebit. רפאן *Raphan, Remphan i. Gigantæus, forma* רַחְמָן *miſericors - - Nec putandum eſt, ρεμφαν expreſſum eſſe ex litteris* כיון *id enim τυπον denotat. Ipſe autem Moloch Gigantis nomine ſignificatur, quia moles ſtatuæ humanæ magnitudinis modum exceſſerat.* Aliis eſt compoſitum ex רעם פעם, quod *Jupiter βροντευς*, ſeu *ζευς βροντaιος* exponunt, ut SCALIGER ad *Manilium* l. 1. dicit. GROTIO eſt vox *ρεμφαν* eadem, quæ רִמֹּן 2. Reg. V. 18. Syrorum idolum, cuius idea ſit, quod altisſimo eſſet orbe, ut TACITUS loquitur. Quemadmodum etiam כיון et כיואן pronunciaretur, ita רמן et רמפן ſcriptum fuiſſe. Judicat præterea, *το* כיון et מולך ad unum referri ſidus, et alia duntaxat habuiſſe nomina, habitum, cultum. e) Moloch habuiſſe *regis*, kevan *ſtellæ* figuram Paulo ante dixi, JUNIUM

b) *Alias adhuc profert SELDENVS ſententias in Lib de Diis Syr. Synt. II. c. 14. p. 348. ſqq*

c) *In Horis Talmud. ad Act. p. 74. edit. Lipſ.*

d) *In Unſchuld. Nachr. ad an.* 1710. *Ord. XIII. p. 815 ſeqq.*

e) *Quas opiniones B. PFEIFFERUS in Dub. Vex. Loc. LXXXVI. p. m. 938. adduxit.*

το כיון per *basin* explicuisse, et ita mutavit sententiam, quam in priori editione proposuit. Ibi enim judicat, *ραιφαν* esse *Oppidum* in finibus Ammonitarum situm, quod Rephan deinde sit appellatum 1. Mac. V. 37. JOSEPHUS L. XII. Antiq. c. 12. cui tutelaris Deus *Rephan*, cognomine, præfuerit. Esse itaque *ρεμφαν* Deum cujusdam urbis Ammonitarum. In Comment. CHRISTOPH. CASTRI f) autem sensus *τȣ ρεμφαν* et reliquarum hujus vocis lectionum ex græco sermone deducitur. Dicit enim *ραιφαν* descendere a *ραιφαστω pure*, *caste vivo*, quod stella pure luceat. *Ραφαν* a *ραφη futura*, parte calvæ serrata, in qua illius sideris figura fuisset. *Ρεμφαν* deduci a *ρεμφος rostrum*, *os*, in quo luxisset stella. *Ρομφαν* derivari a *ρομφαζω*, *baiulo*, quod bajularetur idolum in tabernaculo. Quæ tamen curiose magis quam solide excogitata. Majorem veritatis speciem præ se ferunt, qui Remphan ex Ægyptiorum sermone deduxerunt. ATHANAS. KIRCHERUS g) nempe statuit, *το* כיון convenire cum Coptico ϩⲓⲕⲱⲛ HIKON *imago*, *figura*, quo nomine *Saturni* aut *Herculis* simulacrum promiscue *κατ εξοχην* fuisset appellatum. Nomine *Remphan* autem in ista lingua *Saturnum* denominari, non solum KIRCHERUS, sed et alii eruditissimi Viri ex ONOMASTICO COPTO *Planetarum* probare student. In quo, KIRCHERO teste, h) septem Planetæ hæc habent nomina: 1) ⲢⲎⲪⲀⲚ *Riphan* Saturnus. 2) ⲠⲒϨⲈⲨⲤ *Pizeus* Jupiter. 3) ⲘⲞⲖⲞⲬ *Moloch* Mars. 4) ⲤⲞⲨⲢⲞⲦ *Surot* Venus. 5) ⲠⲒⲈⲢⲘⲎⲤ *piermis* Mercurius: 6) ⲠⲒⲢⲎ *piri* Sol. 7) ⲠⲒⲒⲞϨ *piiob* Luna. Dicit etiam, i) formam huius Remphanis *stellam* fuisse. Et in Versione Coptica, quam ex VATICANA BIBL. nobis exhibet, k) idem legitur vocabulum, ita enim verba fluunt: ⲬⲈⲘⲎϨ ⲁⲛϩⲟⲗϩ ⲉⲗⲛⲉⲙϣⲟⲩϣ ⲱⲛⲟⲩϣⲓ ⲁⲣⲉⲧⲉⲛⲉⲛ ⲟⲩⲛⲓⲉϩ ⲣⲏⲥϩⲓⲡϣ ⲁϥⲉⲛⲙⲛⲡⲟⲙⲡⲓⲡⲏⲓ ⲙⲡⲓⲥⲗ - ⲟⲩⲟϩⲁⲧⲉⲧⲉⲛϭⲓⲛϯ ⲥⲕⲟⲩⲛⲏ ⲛ̀ⲧⲉⲙⲟⲗⲟⲭ ⲡⲉⲙⲛⲓⲥⲓⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲉⲧⲉⲛⲛⲟⲩϯ. ⲣⲉⲫⲁⲛ ⲛⲓⲧⲩⲡⲟⲥ ⲉⲧⲁⲣⲉⲧⲉⲛⲑⲁⲙⲓⲟⲟⲩ ⲉⲟⲩⲱϣⲧ ⲙ̀ⲙⲱⲟⲩϯ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲓ-ⲉⲧⲉⲃⲑⲏⲛⲟⲩ ⲉⲃⲟⲗ ⲉⲛⲥⲁⲛ ⲧⲉⲃⲁⲃⲩⲗⲱⲛ ϯ Probationis loco etiam

f) *in Duod. Prophet. fol. 226. sq.*
g) *In Oed. Aegypt. Synt. IV. C. 22. fol. 387.*
h) *l. c. fol. 385.*
i) *Cap. 19. fol. 367. cuius formam aere ibi expressam invenies.*
k) *C. 22. quam Versionem tamen defendere non audeo, quia nimis vitiosa.*

etiam ex DIODORO SICVLO l) Regem clarioris famæ adducunt, qui nomine REMPHIS in Ægypto fuerit. Quem nonnulli Pharaonem illum fuiſſe ajunt, qui Joſephum Ægyptiorum regioni præfecit. Verba digna habeo, quæ allegentur. *Μετα δε την Πρωτεως τελευτην διαδευξαμενος την βασιλειαν ο υιος* ΡΕΜΦΙΣ, *διετελεσε παντα τον τȣ ζην χρονον επιμελομενος των προσοδων, και σωρευων πανταχοθεν τον πλȣτον. Δια δε μικροψυχιαν και Φιλαργυριαν ηθȣς, ȣτε εις αναθηματα θεων, ȣτε εις ευεργεσιαν ανθρωπων ȣδεν ανηλωσε. Διο και γενομενος ȣ βασιλευς, αλλ' οικονομος αγαθος, αντι της επ αρετη δοξης απελιπε πλειςα χρηματα των προ αυτȣ βασιλευσαντων· αργυρȣ γαρ και χρυσȣ παραδιδοται συναγαγειν αυτον εις τετ]αρακοντα μυριαδας ταλαντων.* Quæ verba Interpres ita vertit: „Proteum regno vitaque defunctum excepit REMPHIS filius. „Is vitam vectigalibus accurandis, et opibus undecunque acervandis, to„tam inſumſit. Nec puſillus hominis animus, ingeniique ſordida avari„ties vel in ſacra divorum munera, vel beneficia hominibus conferenda „quicquam expendere ſinebant. Ideo non ut rex, ſed diſpenſator bo„nus pro virtutis gloria maximos pecuniarum cumulos, quantos regum „ſuperiorum nemo, reliquit. Argenti enim et auri talenta quadringen„ties mille coëgiſſe, fertur.„ Ex Ægyptiaca lingua etiam vocem *ραιφαν* deduxit B. JOH. MICHAELIS m) dicens ⲣⲏⲃⲁⲛ eſſe Saturnum, qui tamen aliam vocem ſubſtituit.

§. XII.

Hæc omnia, non quod ipſe conſentiam, ſed tantum ex mente aliorum a me dicta eſſe, velim. Qvamquam enim tot tantorumque Eruditiſſimorum Virorum n) conſenſus facile aliquem in aſſenſum rapere poſſet; quia tamen lingvæ Copticæ o) cognitione Viri iſti ſine dubio deſtituti fuerunt, Celeb. Doct. JABLONSKIUS in Tractatu hac de materia veriora nos edocere poteſt. Firmiſſimis enim rationibus ex Coptorum p) idiomate probat, *Remphan* ſignificare *Regem Coeli*, nec ſcribi debere

l) *In Bibl. Hiſt. L. I Sect. II edit Stephanianæ fol.* 39.

m) *In Notis Crit. et Exeget. in N. T. ad h. l.*

n) *Non parvus eſt eruditorum numerus, qui iam dudum cognoverunt, vocabulum hoc eſſe Aegyptiacum, quorum nonnullos Cel. JABLONSKI allegat l. c. p.* 32.

o) *Idem conqueritur D. JABLONSKI. l. c. p.* 2.

p) *Multum quidem hac de lingua diſceptari poſſet, num Aegyptii iſta uſi fuerint. Veritatem autem aſſertionis demonſtravit B. PFEIFFERUS in Dub. Vex. ad Loc. 73. Cent. I. p. m. 183. ſqq. prolixius in Exercit. V. p. 1064. ſqq. D. CHRIST. GOTTHVELFF BLVMBERG in Præf. Fundamentorum Linguæ Copticæ.*

re *ϱαιφαν* aut *ϱεφαν*, ſed *Remphab* vel *Romphab.* q) Qvod autem res ita ſe habeat, ex ſeqnentibus perſpici poſſe, iudico. *Rex* enim vocatur in lingua Coptica ⲡⲓⲣⲟ vel ⲫⲣⲟ r) addito articulo maſculino, pro quo recentiores cum articulo indefinito ⲡⲓⲟⲩⲣⲟ et ⲫⲟⲩⲣⲟ dicunt. Qvod ex iſto vocabulo פַּרְעֹה quo Aegyptiorum *Rex* in S. Codice perſæpe vocatur, probari poteſt. Hæc enim vox eadem eſt, quæ in Coptica lingua ⲫⲁⲣⲟ, cuius idea eſt *Rex meus.* Littera ⲁ eſt pronomen poſſeſſivum, s) quæ inter articulum et nomen ipſum ponitur. Hinc apparet, ⲫⲣⲟ et ſine Articulo ⲣⲟ vel ⲣⲏ, (nam una eſt vox) verum et vetuſtiſſimum eſſe vocabulum. *Coelum* autem Coptorum ſermone cum articulo fœminino t) ϯⲫⲉ efferri, ex multis eorum monumentis poteſt probari. Illuſtrandi cauſa ex Cl. DAV. WILKINSII Oratione Dominica Coptico ſermone exarata, quæ huc ſpectant, adducam. Præfatio ita redditur: ⲡⲉⲛⲓⲱⲧⲉⲧϧⲉⲛⲛⲓⲫⲏⲟⲩⲓ i. *pater noſter, qui in* ⲛⲓⲫⲏⲟⲩⲓ *coelis.* Tertia Petitio ita ſe habet: ⲡⲉⲧⲉϩⲛⲁⲕⲙⲁⲣⲉϥϣⲱⲡⲓⲙⲫⲣⲏϯϧⲉⲛϯⲫⲉⲛⲉⲙϩⲓϫⲉⲛⲡⲓⲕⲁϩⲓ i. *voluntas tua fiat, ſicut* ϧⲉⲛϯⲫⲉ *in coelo, etiam in terra.* Deſignat itaque ⲫⲉ *coelum* et ⲣⲏ *Regem.* Illuſtriſſ. JABLONSKI ſubſtituit quidem ⲫⲉϩ cum H. quod ex PRISCIANO u) probat, ſed hoc eſt levioris momenti. Copti autem cum reliquis in Oriente verſantibus in compoſitione nomina non ſolent flectere, ut Occidentales Gentes, ſed littera ⲙ̀ vel ⲛ̀ ſtatum Conſtructum, v) aut Genitivum deſignant, e. c. *Nomen patris* ⲫⲣⲁⲛ ⲙ̀ⲫⲓⲱⲧ exprimunt. Et quia ſimul hoc inſtituto utuntur, ut continua ſerie verba connectant, habes vocem ⲣⲟⲙⲫⲉ vel ⲣⲏⲙⲫⲉ. Qvod autem in Actis *ϱεμφαν* legitur, verbis Magnif. Doct. DEYLINGII x) reſpondebo: *Vocales non minus ac litteræ* אהוי *inter ſe ſæpe permutantur,*

q) *In eruditiſſ. Tract. §. XI. p. 53.*
r) *Vid. D. BLVMBERGII Fund. Linguæ Copt. Memb. III. §. 4. p. 50.*
s) *BLVMB. l. c. M. IV. §. 3. p. 61.*
t) *Ibid. M. III §. 5.*
u) *l. c. p. 54. not. u)*
v) *BLVMB. M. III. §. 11. p. 54. 55.*
x) *in Obſ. S. l. c. et Cel. JABLONSKI §. XI. p. 54. exemplis probat, quod litteras E a Græcis ut A ſcribi et pronunciari ſoleat.*

tur, μ et ν in fine, vel medio vocis, non raro inseruntur, vel omittuntur, et voces peregrinæ, pro varietate pronunciationis in aliena lingua, varie etiam scribuntur. Vides igitur assertionem meam de מלככם fundatam, quod non sit nomen proprium, sed tantum *κατ ἐξοχην* vulgo usitatum. Ex his etiam apparet, quod B. PFEIFFERI conjectura, y) qui dicit, Coptos ⲢⲎⲪⲀⲚ appellasse ⲪⲚⲦⲈⲠⲒⲬⲢⲞⲚⲞⲤ *Deum temporis, i. Saturnum,* dubio non careat, sed potius Copticorum vetustissimorum idiomati, religioni, sanctique Vatis verbis repugnare videatur. Vox enim ⲚⲦⲈⲠⲒⲬⲢⲞⲚⲞⲤ est græcum *χρονος* cum articulo Copticorum ⲠⲒ et nota Genitivi ⲚⲦⲈ coniunctum. Clariss. JABLONSKIUS probat z) etiam, neque *ρηφαν Saturnum* significare, neque Aegyptios *Saturni* Planetam habuisse. Nec Amosus ad *Saturnum* respicit, sed ad cultum religiosum *Soli* exhibitum, hinc dicit, portastis tabernaculum *regis vestri* seu *Molochi*, cuius idea eadem est, quæ *τȣ* מלכת apud Jeremiam, ut paulo ante monitum. Qvem enim ad modum *Lunam* habebant *Reginam*, ita *Sol* illis erat *Rex.* Derivationis huius probationem videbis etiam in Amoso, addit enim ipse explicationem, כוכב אלהיכם *stellam Deum vestrum.* Protomartyr luculentius probat dicens, Israelitas serviisse *τῃ ςρατια τȣ ȣρανȣ*, Remphan autem est *βασιλευς της ςρατιας τȣ ȣρανȣ.* Qvod autem Versiones Orientales litteram M. omiserint, sententiam meam hoc non destruit, quia *τȣς* O' sunt secutæ. Sic ARABS posuit رَاوْفَان *raphana*, AETHIOPS ረፋን *refam*, SYRUS in Actis ܪܦܘܢ *raphon.* Sed quæres, quid כיון significet, et quomodo LXX. cum Amoso respectu huius vocis conciliari possint? Vera *τȣ* כיון idea est *existentia, duratio, basis*, a rad. כון, quæ in Kal *aptari, disponi* denotat, quam notionem etiam omnia derivata habent. Sensus itaque כיון צלמיכם est *statua imaginum vestrarum.* Qvæ statua nil aliud erat, quam *Moloch* seu REX COELI, qui Aegyptiorum idiomate REMPHA audiebat. Optime igitur græca translatio cum verbis atque mente Amosi convenit. Vates enim *Signum* commemorat, cui idolum illud erat affixum; LXX. Senes autem *rem signatam* exprimentes, proprium Aegyptiorum nomen substituerunt, quo idolum istud vocabatur. Illudque vel in gratiam Aegyptii Regis fecerunt, vel quia tunc temporis cognomen istud

D Ju-

y) *In Dubiis Vexatis ad Act. VII. p m.* 939.
z) *l. c. §. X p.* 38. *sqq.*

Judæis fuit notissimum. Et si augurari licet, *τὸ* מלך idemest, quod *Rempha* Copticum, quod idolum in כיון seu basi ponebant. Dices autem, si res ita se haberet, LXX. omisisse *τὸ* כיון, et Remphan in voce מלככם iam exprimi, mihique *Molochum* et *Chiun* unum esse idolum Posteriora larga manu concedam, ex contextu enim satis clare perspicies, de unico a) duntaxat esse sermonem. Cultus autem, quem Deo huic exhibebant, erat duplex. Habebant סכות seu *delubrum*, et כיון seu *statuam*, cui idoli istius imago erat imposita. Vides igitur, neque מלככם neque כיון propria idoli huius esse nomina, sed generalia, quæ tamen nostro in loco certum indicant idolum. Vides etiam *τὸ* כיון a Senibus non esse omissum, sed proprio nomine expressum. Videtur nec minus hoc Aegyptiorum idolum a Judæis nudo vocabulo כיון b) *κατ ἐξοχὴν* fuisse vulgo denominatum. MOLOCH itaque vocatur Deus iste ab Amoso, respectu virtutis, c) quam isti idolo tribuebant. BASIS e contrario, cum simulacro, erat ipsa Dei forma, qui suo nomine REMPHA vocabatur.

§. XIII.

Huic Remphan LXX. Vir. *τὺς τύπυς* subiiciunt, quod hebræo צלמיכם *imagines vestras* respondet. Non immerito dubium a Cel. GUSSETIO d) movetur, num omnia vocabula, quæ per *imagines* exponuntur, unam eandemque habeant ideam? Qvinque refert eiusmodi verba significationis propinquæ, nempe צלם/ סמל/ דמות/ תמונה/ תבנית/ quibus adhuc duo מסכה et פסל addo. Qvod ista vocabula inter sese differant, ex Devt. IV. 16. פסל תמונת כל סמל תבנית וגו' 2 Reg. XVI. 10. *Abas misit ad Vriam* את דמות המזבח ואת תבניתו׃ Jes. XLVIII. 5. ופסלי ונסכי צוּם satis constat. Ex his enim locis apparet, voces istes inter se differre ut Abstracta et Concreta, Nimirum מסכה פסל/ צלם/ sunt Concreta, quibus certe aliqua picta, vel sculpta, vel fusa statua exprimitur, reliquarum autem vocum idea est generalis, et per simi-

a) *Jam dudum cognovit Cel. JOH. BRAVNIVS in Sel. Sacr. Lib. IV. c. IX. p. 485. sqq. unius regis, unius Dei hic fieri mensionem.* Non nisi unus, *inquit*, nempe Chiun, Sol, Rex Cœli intelligendus est.

b) *Huc videtur etiam Versio ÆTHIOPICA respicere, quæ vocem hanc* ትእምርት signum *reddit.*

c) *Aegyptii enim, teste JABLONSKIO l. c. p. 44. not. p) tria unicuique Planetæ imponebant nomina, unum* Numinis, *alterum* Virtutis, *tertium* Coloris.

d) *In Comment. Ling. Hebr. sub voce* בנה

fimilitudinem, repræfentationem, figuram explicari poſſunt. Tria autem iſta vocabula etiam differunt reſpectu *materiæ* et *formæ*. Propria enim *τὸ* פסל idea eſt certa aliqua figura ex *lapidibus* aut *lignis* formata. Qvo ſenſu ſumitur de *lapidibus* Devt. X. 1. *de lignis* Eſa. XLV. 20. Hab. II. 18. 19. Sed מסכה eiusmodi formam denotat, quæ ex *auro*, *argento*, aliaque *fluida* materia eſt fuſa. Ita ſumitur Devt. IX. 12. 16. de fuſo aureo vitulo. T*o* צלם autem *formam* duntaxat exprimit, nullo reſpectu ad materiam habito, et repræſentat huius vel illius rei exemplum. Operoſe autem quærunt Interpretes, quo caſu, quo numero, quo ſenſu hæc vox ſit reddenda? LUDOV. de DIEU exponit particulam את per *cum*, hunc in modum verba exprimens: *et cum Saturno imagines veſtras*. Alii iudicant, hanc vocem eſſe in ſtatu regiminis, et reddunt, *imaginem ſimulacrorum veſtrorum*, dicentes, hæc dicta eſſe *κατα παραλληλα κατα πλεονασμον*, de quo Pleonaſmo B. GLASSIUS e) quædam exempla profert. Iſti autem viri eruditi *τὸ* כיון per *imaginem* exponunt, et hanc rationem addunt, quod imagines idolorum firmiter in altaribus collocarentur. Qvæ tamen expoſitio nimis coacta, et multo magis כיון *per*, *baſis* eſt reddenda, ut ſupra annotavi, et ita non eſt Pleonaſmus, ſed ſenſus genuinus eſt: *portaſtis ſtereobatam imaginum veſtrarum*. Et hæc de vocis ſenſu; ad numerum quod attinet, quidam Interpretum Pluralem agnoſcunt; alii cum LIVELEIO Enallagen numeri hic eſſe dicunt, pro צלמכם ex Hebraiſmo, quo nomina dignitatis plurali numero ponantur. Et ſi Accentus conſideramus, hæc ſententia videtur eſſe fundata, nam מלככם a כיון eſt per *Sakephkaton* ſeparatum, hoc autem cum צלמיכם per Munach coniunctum, hinc ad כיון pertinet, non ad *Molech*. Qvam ob cauſam fortaſſe SYRUS etiam in Amoſo Singularem numerum poſuit ܟܐܘܢ ܨܠܡܟܘܢ *et Chevon figuram veſtram*. Qvod ut concedi poſſet, ita pluralem numerum tamen retineri incongruum non eſt. Sanctus etenim Vates non reſpicit ad multitudinem *idolorum*, ſed ad multitudinem *formæ*, quod magnus Judæorum numerus hoc idolum ſibi effinxiſſet. Nam unusquisque ferme eiusmodi *Chiun* ſibi formaverat, hinc recte dicitur, *imagines veſtræ* Nec LIVELEIUS probare poteſt, *τὸ* צלם dignitatis nomen eſſe. Optime itaque græca translatio, *τυπους* reddens, ſenſum expreſſit.

D 2 §. XIV.

e) *In Phil. Sacr. L. III. Tract. I. can. 32. not.*

§. XIV.

Qvod ad reliqua textus vocabula attinet, pauca sunt, quæ observari merentur. Ex vocali Patach sub כוכב patet, hanc vocem סמוך i. in statu regiminis esse positam, et כוכב אלהיכם *sidus dei vestri*, *το αςρον τȣ Θεȣ υμων*, esse reddendum. Sensus autem est, stella, vel figura istius stellæ, quæ vobis Deus est, quem SYRUS exprimit ܟܘܟܒܐ ܕܥܒܕܬܘܢ ܠܟܘܢ ܐܠܗܐ *sidus, quod fecistis vobis Deum.* Ordinem quidem verborum non curavit, et *το* אלהיכם post verba *fecistis vobis* posuit, sensus tamen integer est. Namque Judæi his in simulacris aliquid numinis colebant, ut KIMCHIUS non male exposuit: כלומ׳ עשיתם צלם כוכב *quasi diceret*, : של אלהיכם והכוכב הוא שמו אותו עליהם לאלוה *fecistis imaginem stellæ, qua Deus vester, hanc enim stellam posuerunt sibi Deum.* LIVELEIUS itaque non est taxandus, qui per Appositionem hæc verba exponenda esse iudicat. Qvæ loquendi ratio, qua status regiminis ponitur, et posterius Substantivum cum priore in eodem casu est reddendum, hæc inquam loquendi formula, non solum in Sacris V. et N. T. Pandectis, f) sed etiam in profanorum Scriptorum monumentis invenitur. Huc pertinet Gen. XV. 18. נְהַר פרת pro נְהַר פרת Esa. XXI. 9. g) פסילי אלהיה pro פסילים Amos. V. 2. בתולת ישראל pro בתולה Ex N. T. Matth. XII. 39. signum *Jonæ*, i. *Jona*, qui vobis sit signum Messiæ. Act. VIII 5. *εις πολιν σαμαρειας* i. in urbem *Samariam.* Sic Αθηνων πολις apud profanos est urbs *Athenæ.* Eodem loquendi genere utitur CICERO. *Arborem fici nunquam vidisset.* Et LIVIUS, *lucus proceris abietis arboribus septus.* Quod si vero quis statum constructum retinere mallet, nihil causæ foret, quid obstaret. Nam *το Θεον*, quod sibi Deum faciebant, erat stella, cuius formam multis simulacris incidebant, in quibus religioso cultu hunc Deum venerabantur. Qvæ אלהים CHALDÆVS in opprobrium טעותכון *errata vestra* transponit, et Spiritus veritatis eodem utitur vocabulo Jerem. X. 14. 15. quo idola שקר et מעשה תעתועים *mendacia, opus errorum* denominat.

§. XV.

Hujus generis erant et hæc idola, nimirum מעשה ידים opera ma-

f) *Paucis attigit hanc observationem B. GLASSIVS in Phil. S. L. III. Tract. I. can. 4.*

g) *Quæ verba οἱ O' ita interpretantur:* *και παντα τα αγαλματα αυτης και τα χειροποιητα αυτης.*

manuum, quibus ſemet ipſos ad erroneas vias ſeducebant. Id quod S. Vates his verbis exprimit אשר עשיתם לכם LXX. Vir. *ους εποιησατε εαυτοις*. D. Lucas ſenſum *τȣ* לכם exprimens reddit, *ους εποιησατε προσκυνειν αυτοις*. Ante omnia diſquirendum, ad quod Subjectum *το* אשר ſit referendum. Omnes, quotquot perlegi, Interpretes ad proximum כוכב reducunt, ut ſit ſenſus, ſtella Dei veſtri, *quam* feciſtis vobis. Senes autem LXX. quos D. Lucas ſequitur, ad remotius referunt Subjectum, nempe ad צלמיכם *τȣς τυπȣς, ους εποιησατε*. Relativa quidem non raro ad ea referri oportet, quæ remotius diſtant h), quamvis propiora adſint, ad quæ reduci debere videantur. Sed quæritur, num regula iſta noſtro loco ſit applicanda? Id quod affirmo, quia LXX. non ſolum *το* אשר ad imagines referunt, ſed etiam ARABICA, ÆTHIOPICA, SYRIACA Converſio. ARABS enim lingva ſua hæc Amoſi verba ita reddidit: *quas figuras eorum paraveratis vobis*. AETHIOPS lingua ſua interpretatus eſt: *dum adorantes iſtas imagines, quas feciſtis*. SYRUS in Actis paulo aliter, quam in Amoſo jam allegato, verba poſuit: *imagines, quas feciſtis, ut illas adoraretis*. Quid multa? Ipſius textus *συναφεια* hanc requirit expoſitionem. Nam כוכב אלהיכם eſt additamentum duntaxat explicationis cauſa, quo vocabula כיון צלמיכם clariora reddantur. Quæ imagines ſtellam repræſentabant, quam religioſe Judæi colebant. Ex quibus apparet, צלמיכם unicum eſſe Subjectum, de quo reliqua verba alterius hemiſtichii prædicantur, quod in Sect. II. ex Accentibus probabo. Hanc ad vocem itaque אשר etiam eſt referendum. Supra dixi, D. Lucam ad ſenſum *τȣ* לכם reſpexiſſe, reddendo *προσκυνειν αυτοις*. Littera enim ל frequentiſſime *reſpectum ad aliquid* denotat, quod ſexcentis probari poſſet exemplis, niſi jam notiſſimum atque tritiſſimum eſſet. Fecerunt itaque Iſraelitæ ſibi idola להשתחות להם quod græco *προσκυνειν* exacte reſpondet, quo ubique ferme cultus religioſus exprimitur.

§. XVI.

Tot tantiſque ſceleribus, juſtam etiam dare debebant Judæi pœnam. והגלתיכם מהלאה לדמשק *ideo migrare vos faciam ultra Damaſcum*, vel ut LXX. Viri exponunt, *και μετοικιω υμας επεκεινα Δαμασκȣ*.

h) *Qua de regula multa documenta vid, apud GLASS. Phil. S. L. III, Tr, II. can. 10.*

μαστκε. „Fuit ab antiquis Regibus mos i), gentes pro libidine huc illuc „transferre pecudum in morem, quas pastores nunc in hibernos, nunc in „æstivos saltus trajiciunt: ita enim ingenia populorum emolliuntur, „mutanturque, et qui in suo solo quodlibet audent, placidi et quieti „sunt in alieno.„ Sic Judæi ex patria depulsi, in remotiores regiones captivi ducendi erant. Qui verum majorum suorum Deum relinquentes peregrina falsaque idola coluerant, ad pergrina nunc etiam invito animo se conferre loca necesse habebant. Non spernenda sunt verba GVSSETII k), quibus tertium migrationis ex vocis radice proponit. Prima enim *τȣ* גלה idea est *revelare*, *detegere*, quæ vox deinde sensu metaphorico ad *captivitatem* ducitur. Vel, quia inquit, qui migrant e patria, exponuntur oculis omnium in itineribus et agris. Vel, quia tegumentum hujus regionis quasi removetur, incolæ enim sunt istius loci tegumentum. Mihi tamen magis arridet prior expositio, quia etiam de sponte et paucis migrantibus 2. Sam. XV. 19. Ezech. XII. 3. accipitur. Migrantes enim tunc aliis apparent, qui prius domi quasi latitabant. Perfecte etiam migrandi sensum exprimit vocabulum *μετοικιζω* l), vel *αποικεω*, quibus LXX. *τo* גלה exponunt, quorum sensus est, *domum mutare.* Accessoria itaque idea est *proficisci*, *captivum duci.* Ex qua accessoria idea *μετοικοι* m) in CODIC. L. 10. tit. 4. sunt, qui principum jussu aliam in civitatem pœnæ causa mittuntur, et quorum prædia publicantur. Qvomodo autem מהלאה et *επεκεινα* sit exponendum, Interpretes non consentiunt. Quidam *ex* Damasco, quidam *in* Damascum, nonnulli *ultra* Damascum, reddi debere judicant. Vera itaque hujus vocis notio est pensanda. מהלאה esse מלה מורה על ריחוק המקום *vocabulum remotionem et distantiam denotans* satis notum esse, nullus dubito. Loca palmaria sint Levit. XXII. 27. 1. Sam. X. 3. XX. 22. 37. Descendit enim a הלא quod Mich. IV. 7. in Niphal legitur, et significat *disjectus*, *remotus fuit.* Observes etiam, quod citatis in locis LXX. Viri

i) *Sunt verba HERM. WITSII a PET. ZORNIO repetita in Opusc. S. T. II. p.* 371.

k) *Sub voce* גלה *in Comment. L. Heb.*

l) *Obiter hic annotabo, quod μετοικιω apud Lucam et in Græca Vers. Hebraismum non sapiat, ut B. D. MICHAELIS in Notis Crit. in N. T. ad h. l. statuit, qui dicit:* in Græco ponitur præsens pro præterito. *Sed μετοικιω est Futur. I. Atticorum idiomate formatum pro μετοικισω.*

m) *Ut SCAPULA refert in Lex. sub hac voce.*

Viri ſemper *επεκεινα* ſubſtituerint, cujus notio eadem eſt. Quæ vox ex *επι* et *εκεινα* eſt compoſita, qua ſubintelligitur *μερη*, et hujus vocis Synonymum eſt *επι ταδε*, POLYBIUS L. III. *πως ητηθεις της επι ταδε τε Ταυρε πασης εξεχωρησε*, *quo pacto victus omni Aſia cis Taurum exceſſit.* Nec *επεκεινα* profanis auctoribus ignotum eſt, quod *cis citra*, *trans*, exponitur. Sic HERODIANUS lib. II. *οι τε επεκεινα Τιγριδος και Ευφρατε σατραπαι. Satrapæ trans Euphraten Tigrimque.* Nullam itaque video rationem, qua commoti fuerint interpretes, ut a propria hujus vocis notione diſceſſerint. Hic enim eſt Amoſi ſenſus, ut Iſraelitas doceat, illos in remotiora loca trans Damaſcum ductum iri captivos. Quam expoſitionem etiam hiſtoria et hujus oraculi eventus, exigit, ut patet 2. Reg. XVII. 6. Hæc autem civitas ter דרמשק ſcripta ſacris in Pandectis 1. Par. XVIII. 5. 6. 2 Par. XVI. 2. XXVIII. 5. legitur. Pro qua urbe D. Stephanus *Babylonis* mentionem facit. Verum hæc conciliatio ad alteram Sectionem ſpectat, ad quam nunc ordo dicendorum ducit.

SECTIO II.

DE CONCILIATIONE LUCÆ CUM AMOSO.

§. I.

Ex collatione D. Lucæ verborum, cum LXX. Senum ſtatim patebit, Lucam iſtos ad verbum eſſe ſecutum, quippe qui non ſolum vocabula, ſed etiam ordinem eorum, paucis exceptis, aſſervavit. Quia vero nonnulla occurrunt, quorum primum eſt כיון, quæ plurimi eruditorum a LXX. corrupta, et a Luca non emendata eſſe, judicant; quia etiam ab aliis Viris *θεοπνευςοις* Novo in Fœdere hæc Verſio perſæpe eſt allegata, quæ tamen plurimis in locis eſt corrupta, quorum quædam in N. T. emendata, quædam vero immutata eſſe recenſita videntur: hinc multum diſceptatum eſt, quam ob cauſam ex græca translatione verba citentur, cum tamen Sacra Oracula V. F. Hebræo idiomate ſint conſignata, variisque modis eruditi viri has quæſtiones ſolvere ſunt conati. Operæ itaque pretium eſſe duco, ut prius hac

hac de re meam fententententiam B. L judicio exponam, quam D. Lucam cum Amofo conciliem.

§. II.

Non una alterave, fed multis vicibus ab Evangeliftis et Apoftolis LXX. Translationem fuiffe citatam, nemo ibit inficias. Quæ vero caufa fuerit, cur Viri ifti θεόπνευστοι non nunquam iftam Verfionem fint fecuti, cum tamen aliis in locis iftam deferant? diverfa eft Criticorum fententia. FRANCISCUS HARÆVS n) ftatuit, ideo S. Stephanum allegaffe græcam converfionem, quod in Synagoga habuerit auctoritatem determinandi fidei controverfiam. Quæ tamen fententia antiquis Judæorum inftitutis e diametro repugnat, nec unico probari poteft teftimonio. Ex addita etiam animadverfione patebit, quod lateat angvis fub herba. WHISTONVS eo feductus eft o), ut fomniet, Codicem noftrum Hebræum a Maforethis in gratiam Pfeudo-Meffiæ Bar Cochabi effe corruptum, illumque ex Pentateucho Samaritano, Jofephi monumentis, et LXX. Translatione effe corrigendum. Sunt etiam nonnulli, qui proferunt, N. F. Scriptores loca ex V. F. excitantes non Græcam fed Chaldaicam fecutos fuiffe Verfionem. Quam fententiam R. ASARIAS tuetur in *Libro Imrebinah* c. 5. p) cujus verba exfcribere non pigebit: הכני.

n) *In notis ad Vulg. Verf. in Acta. Ex qua affertione concludit, eodem modo noftris temporibus a Lutheranis, quos cum addictis Calvino, uno nomine hæreticos appellat, LXX. Vir. converfionem in canonem atque regulam effe recipiendam.* Unde fequitur, *dicit*, quod quemadmodum hæretici noftri temporis in auctoritatem recipiunt libros ex Canone Hebræorum, ipfi eadem ratione in auctoritatem recipere deberent interpretationem LXX. Cujus enim condere Canonem, ejusdem eft Canonicorum librorum afferere atque adftruere interpretationem. *Sed ex falfis præfuppofitis falfa eft conclufio. Quas fallacias multis detegere non neceffe eft, quia primo ftatim intuitu iftæ perfpiciuntur.*

o) *In Tomo V. P. I. Bibliotheque Britannique. Vid. Celeb. D. PFAFFII Vorrede über des Herrn JOH. FRID. COTTÆ teutfchen Ausgabe Flavii Jofephi.*

p) *Nomen ejus eft* ר' עזריה מן הארומים *Clar BUXTORFFIUS exponit hæc verba*: R. Afarias Edomæus; *Celeb. WOLFIUS autem R.* Afaria de Rubeis i. e. Roffi, ab Italis ita vocatus. *Qui ASARIA* מאור עינים *edidit, cujus libri tres partes commemorat BUXTORFFIUS in Biblioth. Hebr. fub lit.* ם. *p. 107. fq. I)* קול אלהים *quæ agit de terræ motibus Ferraræ A C. 1571. contingentibus. II)* הדרת זקנים decor fenum, *quæ eft translatio Hebraica libri Ariftææ de LXX. Vir. III)* אמרי בינה verba intelligentiæ, *quæ pars hiftorica et philologica pertractat. Hic autem liber diftinctus eft ab alio IM-*

הנני מביא לך עוד מן הספרים המפורסמים לנצרים ראיה ברורה שהזקנים לא העתיקו מן הנוסח אשר הגיה עזרא בלשון הקדש רק מן הארמי המפורסם אז להמוני הארץ, וזה כי הלא שלוחיהם ומבשריהם אשר היו יהודים ובארץ ישראל בזכרם איזה פזוק אין ספק שאמרוהו בלשון הרגיל אז אצלם אשר היה ארמי לא בלשון יוני מכח העתקת השבעים לעם יון וכו׳
i. *Ecce profero tibi amplius ex libris Canonicis Christianorum argumentum clarum, quod Seniores non transtulerint ex exemplari, quod edidit Esra in lingva sancta; sed ex Chaldaica Versione tunc vulgari terrae. Probo autem hoc argumento, nonne Apostoli et Evangelistae, qui erant Judaei et in terra Jsrael, cum citant aliquem versum, sine dubio allegant illum in lingua vulgari tunc apud eos, quae erat Chaldaea, non vero in lingua Graeca, qua conscripserunt LXX. in gratiam populi Graeciae? cetera.* Celeb. LIGHTFOOTVS q) duas profert rationes, cur Amanuenses Spiritus S. in N. F. graecam secuti fuerint versionem. Qvia Versio ista gentilium Biblia fuerint, et Apostoli cum Evangelistis imprimis ad gentes Novi Pacti monumenta miserint; hine necessarium fuisse, ut Graecos Codices sancti Viri sequerentur, quo gentes istae, allegationes ex V. T. adductas examinantes, consonas cum iis reperirent. Deinde, quia non sua, sed ab aliis dictata allegassent, secundum gentilium Biblia verba expressisse, quia pro gentilibus scripsissent. Qvae sententia jam prioribus temporibus ab HIERONYMO r) est proposita. *Facilius excusatio est*, inquit, *non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiae scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere* adver-

E

REBINAH insignito. Hujus etenim partus parens est R. ISASCHAR BÆHR Ben R. Mosche Pesachia, Pragae *editi*, *vid. BUXTORFF. l. c. p.* 38. *WOLFII Bibl. Hebr. Vol. III. n.* 1328. *Illius autem ASARIÆ* Imrebinah, Mantuae *A. C.* 1574. *est excusum. Mentionem etiam facit Cel. WOLFIUS l. c. n.* 1773. *alius libri ab ASARIA editi, cujus titulus:* ס׳ מצרף לכסף המתיחס לחלק ימי עולם מחבור מאור עינים אשר לי הצעיר עזריה מן האדומים:
i. Liber Mezareph Lakkeseph *pertinens ad* Jeme Olam, *quae est pars libri* Meor Enaiim, *quem composui parvus ego Asaria de Rubeis. De quo* Imrebinah, *ex quo verba supra adduxi, Cel. BUXTORFFIUS l. c. haec commemorat*: Liber elegans, eruditus et jucundus, in quo de productis quaestionibus non tantum ex hebraeis, sed et graecis ac latinis, (quarum linguarum videtur peritus fuisse auctor,) scriptoribus disseritur.

q) *In Horis Hebr. in Evang. p.* 755.

r) *Tom. III. Quaest. in Genesin.*

adversus eam scripturam, quæ jam gentibus fuerat divulgata. Quæ conjectura si vera esset, sequeretur, quod citatio των O' etiam inepte traductorum locorum absque dubio foret perpetua. Et quod maximum, sanctum Flamen per Apostolos scribens non mortalium, sed suamet ipsius verba allegat, quæ per Prophetas in V. F. annunciaverat.

§. III.

Cui assertioni ut adsensum præbeam, a me impetrare non possum, quamvis a multis eruditis, et eorum nonnullis multo Præstantissimis, fuerit proposita. Ejusmodi enim συγκατάβασιν, Scriptoribus divino Spiritu actis non adscribendam esse, merito censendum est. Dicunt quidem, illos retinuisse duntaxat illa verba a textu aberrantia, quæ principalem scopum et intentionem divini Spiritus non corrumpunt. Sed hoc, meo quidem judicio, est in re seria ludere. Ista enim verba, vel repugnant V. T. verbis, sive primario, sive secundario sensu, perinde erit; vel cum illis, adhibita genuina perscrutatione, conveniunt. Si prius est, veritatis Spiritus ista excitare non potuit, licet primus textus scopus intactus servetur, sibi enim ipsi nec in verbis divinum Flamen contradicere potest. Semper hærebit dubium, aut verba N. T. aut V. T. esse corrigenda. Gentes habuerunt quidem, his suppositis, Apostolorum scripta græcæ translationi consona, sed quid Judæus? Ille etiam Novum divinum Pactum perlegere poterat, et debebat. Num præbebit fidem hebræo textui adstrictus, cum aliter citatum leget, quam in veteribus divinis oraculis profertur? Celeb. LIGHTFOOTVS respondet quidem, tunc temporis nullam hac de Collatione ortam esse contentionem. quia omnibus res satis nota fuisset. Exinde autem probari non potest, quod per συγκατάβασιν verba LXX. a textu aberrantia scriptores N. T. protulerint, multo magis videtur, quod multa nobis sint ex historiæ ignorantia, s) aliisque impedimentis, obscura et dubia, quæ tamen vere non sunt. Mea itaque hac de re hæc est sententia. Quod Viri θεόπνευστοι LXX. Virorum Conversionem sequentes, eam ob causam verba excitaverint, quia hebraico textui non repugnant, sed bene cum eo conveniunt. Et quantum fieri potuit, translationem semel receptam asservarunt, lo-

ca

s) *Huc referri quoque possunt verba Celeb. D. HEUMANNI in denen Anmerckungen uber allerhand Materien etc. Weim. Coll. IV. p.* 303. Es verursachet der Mangel eines und andern Umstandes gar offt, dass man dem heiligen Verfasser einen Sinn andichtet, der von ihm weit entfernt gewesen.

ca autem a Senibus inepte explicata ex facro fonte protulerunt. Quæ vero nobis contraria videntur, non rejecerunt, quia nulla aperta veraque ineſt contradictio, ſed verbis Sacri Codicis verſio τῶν O' ſubordinari poteſt. Mentem meam B. PFEIFFERI t) verbis clariorem reddam: „Nulla hic eſt contradictio, ſed diverſæ circumſtantiæ in diverſis Scri„pturæ Sacræ locis revelatio. Liberum enim eſt Spiritui Sancto, unam „hiſtoriæ circumſtantiam hic, aliam alibi revelare - - Cum itaque LXX. „hic utut vocem hebræam non exprimentes, tamen quaſi aliud agentes „illud ſcripſerint, *quod verum erat*, Spiritus Sanctus non quidem eorum „in vertendo licentiam, attamen rem ipſam ab illis expreſſam per Apo„ſtolos approbare, et aliquid hiſtoriæ, ante nonniſi in certa verſione LXX. „virali ſubnixum, ceu certum revelare, et quaſi tum demum canonizare „voluit.

§. IV.

Sed quid dicamus de iſtis LXX. Vir. locis, quæ, aliorum judicio, vere facris Oraculis repugnant, et tamen ab Apoſtolis ſine mutatione ſunt excitata? Qvidam putant, librariorum negligentia hæc menda in Novas Pandectas irrepſiſſe. Ita Scripturam eſſe depravatam, non erubeſcunt dicere ERASMO u) allegati. Qua audacia et DRVSIVS perſæpe divini Spiritus verba corrigere ſtudet. De illorum ſententia, qui, ex verſione græca errores hauſiſſe Apoſtolos, et ita protuliſſe, ajunt, quia uſu tunc recepta fuiſſet, jamjam dictum eſt. Huc referenda quoque eſt M. BAMBAMII Eccleſ. Hamburg. v) epicriſis hac de materia, qui dicit, ſingulare Matthæi eſſe, quod non ita crebro, ac reliqui Evangeliſtæ, LXX. interpretes ſequatur, ſed oracula V. F. ex ipſis fontibus depromat. Perluſtra autem Plur. Rev. WOLLII Parallelifmum N. T. verbalem, et a reliquis etiam Evangeliſtis hoc obſervatum eſſe, invenies. Si quoque illud concedatur, addita tamen cauſa, Matthæum, quippe Judæum, hebræi fontis paulo tenaciorem fuiſſe, non ſatis eſt ſolida. Reliqui enim Evangeliſtæ et Apoſtoli quoque Judæi genere erant, ideoque illi eodem jure, hebræo textui adſtricti eſſe debuiſſent. Tutiſſima autem ibis via, cum ejusmodi in locis dubiis, et hebrææ et græcæ lingvæ proprie-

t) *in Dub. Vex. Cent. I. Loc. LXXVII. p. m 196. ſq.*
u) *in Bibliis Criticis Anglicanis ad Amoſ.*
v) *in Apparatu S. Enthymematico-Exeget. P. II. Sect. III. §. 2. p. 305.*

tates x) recte intelligens, expositionem, judicio nullis opinionibus antea conceptis obruto, et regulis Hermenevticis rite adhibitis, investigabis y); quo filo ductus facile invenies conciliationem. Qvam regulam Sect I. observatam, æquo Tuo, B. L. relinquam arbitrio. Deinde pia rectaque meditatione videndum, num vere sacra V. et N. T. oracula sibimet ipsis contradicant, z) an potius diversas tantum circumstantias proferant? Plurima enim prostant exempla, in quibus hebræus etiam codex sibi repugnare videtur, circumstantiis autem rite distinctis, nihil est facilius conciliatione. Qvæ observatio etiam ad N. F. oracula spectat. Protulerunt itaque Apostoli quædam ex LXX. Vir. translatione, quæ in sacro fonte aliter sunt proposita: sive translatores isti ignorantes vera scripserint, sive per traditionem accepta addiderint; neque prius, neque posterius divini Flaminis verbis, in V. T. prolatis, repugnat. Hinc factum est, ut viri Sancto Spiritu ducti in N. F. ista excitarint. Quæ annotatio nostrum locum etiam juvabit. Voces nimirum כיון et ρεμφαν, addam etiam סכות et σκηνη, non sunt opposita; sed optime inter se conveniunt. Nam כיון est *signum*, ρεμφαν autem *res* in כיון *signata*. Si ponam, סכות denotare *imaginem*, non tamen male interpretata est græca translatio σκηνην, quia hoc סכות in σκηνη continebatur.

§. V.

Illustrandi causa aliud adhuc ex nostro Act. VII. capite com. 14. exemplum proferam, in quo multum sudarunt interpretes. Protomartyr dicit, LXXV. animas descendisse in Aegyptum. Vates autem Moses Gen. XLVI. 27. Exod. I 5. Devt. X. 22. numerat LXX. Si conversionem των O' evolvas, invenies, illos etiam εβδομηκοντα πεντε posuisse. Hinc dices forsitan, S. Stephanum hanc translationem esse secutum. Qvomodo autem id excu-

x) *Quæ regula quarta est Celeb. WOLLIO in Parallelismo jam citato §. IX. p.* 10. *Huc pertinet etiam V. eius regula*: Voces N. F. ambiguæ, *hoc est*, variis significatibus vestitæ, eæque ex LXX. Virali versione N. F. depromtæ, primum sunt variis in locis, omni, qua decet, accuratione evolvendæ, tum vero ea significatio, quæ cum circumstantiis eius N. F. oraculi, quod explicandum sumsimus, omni ex parte consentit, ex vera ac germana V. F. sede deligenda.

y) *Quam regulam iuvabit* Differt. *Illustr. ZO*[illegible]*NII de Σεσηνων voce pro* תנים *quæ exstat in* Opusc. Sacr. *T. II. p.* 184. *sqq.*

z) *Pluribus hanc assertionem demonstravit Celeb. JABLONSKIUS l. c.* § 6.

excusari potest? Per *συγκαταβασιν* hoc factum esse, sine blasphemia de verissimo Flamine dici non potest. Textum itaque Lucæ, a librariis corruptum, corrigendum esse, clamitant plurimi. Ante vero, quam regulam nostram in auxilium vocem, ex ipsius Mosis verbis ad concilianda quædam proponam. Dicit nimirum Gen. XLVI. com. XXVII. כל הנפש לבית יעקב הבאה מצרימה שבעים: Et com. XII. profert, *Ger* et *Onan* iam in terra Canaan obiisse, hinc LXVIII. duntaxat venerunt in Aegyptum. Alterum momentum est, com. XV. fit filiæ *Dinæ* mentio, quæ non adnumeratur, cum tamen com. XVII. *filia Serah* in numerum accipitur. Tertium, com. XXVI. dicitur, omnes cum Jacobo in Aegyptum migrantes fuisse LXVI. quibus adduntur com. XXVII. duo filii Josephi, hinc numerus, Josepho addito, erit LXIX. non vero LXX. Qvæ omnia non eum in finem adduxi, ac si cum illis facerem, qui, textum corruptum esse, somniant; aut si præter necessitatem dubia proferre vellem. Sed hoc ago, ut ostendam, esse interdum nonnullos, qui pro lubitu sibimet ipsis contradictoria fingunt, quæ tamen hoc nomine indigna esse, sæpe luce meridiana clarius apparet. Nihil enim facilius est, hac conciliatione, nec opus esset responsione; attamen, quia hæc dubia protuli, paucis etiam solvam. Ad primum quod attinet, Moses adnumerat iam mortuos *Gerum* et *Onanum*, quia filii Jacobi erant, et in Genealogia Jacobi recenseri debebant. In hoc enim Moses est, ut describat, quot tunc temporis fuerint Jacobi posteri, sive iam mortui, sive adhuc superstites, coll. Exod I. 5. Qvod autem *Dina* hunc in numerum non refertur, ratio est, quia illi miseræ puellæ vitium obtulerat Sichem, Gen. XXXIV. Indigna itaque habebatur, cuius nomen in Genealogia Patriarcharum asservaretur. Et quod com. XXVI. numerantur LXVI. additur ratio com. XXVIII. Cum Jacobo nimirum veniebant sexaginta sex, Juda filius iam ante ad Josephum missus non numeratur, quia iam in Aegypto erat. Hic autem Juda, et Josephus cum duobus suis filiis constituunt septuaginta. Ita nec difficilis est conciliatio S. Stephani, si modo *temporis* circumstantiam distingvas. Translatio etiam LXX. Virorum verum numerum posuit, quia com. XX. Josephi nepotes diu post natos addit. Interim tamen hæc versio est reiicienda, quia Mosis scopo repugnat. Iste etenim vates describit duntaxat numerum Jacobi posterorum, tunc temporis vere existentium, et qui iam discesserant, et qui adhuc in vivis erant. Josephi autem filii, adhuc in lumbis patris latentes, huc referri non poterant. Qvod vitium istis in locis commissum translato-

 res

res deinde Devt. X 22. emendarunt et LXX. posuerunt. Longe aliter autem se res habet cum S. Stephano, qui non describit, quot in Aegyptum migrarint, nec quot in migratione fuerint Jacobi posteri, de quibus Moses loquitur: Sed commemorat πασαν την συγγενειαν, omnes Jacobi filios nepotesque, nullo temporis respectu habito, qui septuaginta quinque erant. Qvibus consideratis, male habetur caput XLVI. Geneseos locus parallelus, quia Protomartyr ad illa verba non respicit, sed potius ad prima prioris Paralipomenorum capita. Nec minus falsum est, hunc virum, a divino Spiritu ductum, errorem graecae versionis excitasse. Quae regula etiam de nostro loco valet, neque enim ῥεμφαν, neque βαβυλωνος vox Amoso contradicit. Prius vocabulum alius linguae idiomate scribitur, sensui autem τȣ כיון est conforme, ut in Sectione I. demonstravi. Alterum vocabulum ad aliud tempus, aliamque tribum respicit, et sensum Amosi non corrumpit, quod infra pluribus persequar.

§. VI.

Vti autem duae hae regulae, adhuc a me in medium productae, in explicando Amoso et Stephano, generales multum iuvant veram rectamque interpretationem; quarum prior vocum ἰδιωματων perscrutationem, altera circumstantiarum συμφωνειαν docet: ita tertia restat, quae nos ordinem verborum investigandum doceat. Semel enim iterumque supra fuit observatum, LXX. vir. verborum ordinem hoc loco mutasse, quem D. Lucas non emendavit. Difficulter etiam veram transpositionis huius rationem indicari posse, cum Celeb. JABLONSKIO a) plures Critici statuunt, sensum tamen esse corruptum, non statim sequitur. Saepius enim verba alio ordine excitantur citra sensus corruptionem, e. c. Rom. X. 20. coll. Esa. LXV. 1. Rom. XI. 3. coll. 1. Reg. XIX. 10. 14. De graeca conversione quaedam ex Genesi documenta esse possunt, Gen. XVII. 8. XVIII. 8. XXX. 8. XXXI. 4. 17. 33. In quibus verba quidem transposuerunt, sensum tamen Viri isti sartum tectumque servarunt. Istis autem in locis, in quibus sensus etiam corruptus videtur, accentuum ratio primum omni accuratione est consideranda, tum vero, an sensus verborum LXX. vir. cum contextu conveniat, perscrutandum. Multa enim huius rei proferri possent argumenta, in quibus verborum inversio sensum

a) *In Tractatu de Remphah §. II. p. 8.*

ſum reddit clariorem. Probationis loco ſint Stephani noſtri verba, eorumque compoſitio. Hoc quidem non eſt negandum, ſæpe numero græcos translatores pro lubitu addidiſſe, quæ erant omittenda, omiſiſſe, quæ addenda, audacter invertiſſe, quorum complura exempla vel in ipſa Geneſi proſtant. Huic ſententiæ favet etiam Celeb. LIGHTFOOTUS, b) „addunt, inquiens, et decurtant pro lubitu, oſcitanter, coecutienter, audacter. Vertunt in ſenſum ſæpiſſime alienum, non raro contrarium, aliquando nullum. Et multoties vel in patrocinium traditionum ſuarum, vel in fugam ſcandali textus ſacri, vel pro fama aut incolumitate gentis ſuæ.“ Qvod tamen monitum non ad omnia loca eſt extendendum. Sic etiam Apoſtoli c) aliquando detrahunt, quæ ad ſcopum non pertinent; addunt, quæ ſenſum illuſtrant, alias voces ſubſtituunt, ut noſtro in loco, ſenſum tamen non mutant; invertunt verba, integro illorum ſenſu manente. Qvinimo ſenſum D. Lucas hac transpoſitione reddidit clariorem, id quod ex paulo poſt dicendis patebit.

§. VII.

Antea vero proferam, quomodo B. HILLERUS S. Stephani verba cum Amoſi conciliet. Dicit nimirum, d) hunc in modum Protomartyris verba eſſe ponenda:

και ανελαβετε την σκηνην τȣ Μολοχ	ונשאתם את סכות מלככם
και τȣς τυπȣς	ואת כיון צלמיכם
και το αστρον τȣ Θεȣ υμων, Ρεμφαν	כוכב אלהיכם
ȣς εποιησατε προσκυνειν αυτοις.	אשר עשיתם לכם

Tria in Celeb. HILLERI conciliatione deſiderarem. Primum, quod ſine urgente neceſſitate Lucæ verba aliter ponat, et hoc ipſo, dum eum cum Amoſo conciliare ſtudet, ſenſum difficiliorem reddat. Deinde quod כיון et צלמיכם ſynonyma habeat, ac ſi כיון græco verbo non eſſet expreſſum, et *ρεμφαν* neque litteris, neque alia voce ab Amoſo eſſet prolatum. Tandem, quod tria idola hic ſubſtituat, cum tamen, ad ſummum,

b) *In Horis Talmudicis in Evangelia p.* 753.
c) *Multa documenta, multosque Auctores, qui hac de re ſcripſerunt, congeſſit Rev. BAMBAMIUS l. c. Sect. I. §. 44. p. 136. ſqq.*
d) *In Onomaſtico Sacro p.* 123.

inum, duo tantum in Amoſo commemorantur. Præterea articulus ους ad vocabulum τους τυπους referri debet, quem non bene ſeparavit, cum tamen loquendi ratio poſtulet, clare atque diſtincte verba proponi, ut auditor ſenſum capere poſſit. Hoc autem verborum ordine, quo D. Lucas uſus eſt, τους τυπους, ους εποιησατε, quid clarius, quid diſtinctius? Accedit et hoc, quod particulam και repetat, qua τυπους et αςρον diſtinguit, ac ſi tria idolorum individua Iſraelitæ coluiſſent, *Molochum* nimirum, *imagines* aliorum deorum; et *ſtellam* proprii ſui idoli *Remphan.* Ponamus vero, hunc verborum ordinem, hanc conciliationem eſſe genuinam, כיון et צלמיכם eſſe ſynonyma, quæ per τους τυπους explicantur, et tria idolorum genera hic commemorari: ſi res ita ſe haberet, particula אשר eſſet per ἃ, QUÆ, exprimenda, quoniam ad omnia præcedentia verba reſpicit. Plus forſitan iuſto tribuit Celeb. Vir antiquæ VULGATÆ, e) quæ eodem ordine in Amoſo verba exprimit: *et portaſtis tabernaculum Moloch deo veſtro, et imaginem idolorum veſtrorum, ſidus dei veſtri Rempha, figuras, quas feciſtis vobis adorare eas.* Quæ in hac VULGATA taxari poſſint, B. L. etiam me non monente, facile perſpiciet. Nec conceditur, quod το כיון et τυπω ſit una idea. Hebrææ enim vocis ſignificatio prima eſt, *certum, firmum eſſe;* acceſſoria, *exiſtentiam, durationem, naturam, baſin*, denotat. Quam acceſſoriam ideam voces derivatæ a כון nempe כן /מכון/ מכונה/ תבונה exigunt. Vocis τυπω idea propria eſt, veſtigium pulſando vel percutiendo impreſſum, a verbo τυπτω, quæ idea etiam vocis צלם f) germana et genuina eſt, quod ſupra a me ſatis demonſtratum eſſe, non dubito. Optimum etiam in tranſpoſitione verborum apud Lucam eſſe ordinem, ſenſumque clariorem reddi, videbit, quisquis rem diligentius expendet.

§. VIII.

e) *Deſcripſi verba ex VULGATA, quæ mihi ad manus, et anno 1489. edita eſt, in qua non ſolum plane diverſum librorum V. et N. T. ordinem, ſed etiam in notiſſimo illo loco Joanneo de S. S. Trinitate aliam depravationem obſervavi. An mendum typographicum, non inquiram, ſit nimirum trium perſonarum mentio, ſed verba*: Et hi tres unum ſunt, *ſunt omiſſa.*

f) *Latinum* imago *ex græco* ομοιον, *et germanicum* bild *ex ſyriaco* ܨܠܡܐ *derivari poſſe, videtur MARTINIO in Lex. Phil. ſub voce* imago.

§. VIII.

Hoc loco verborum *συναφειαν*, de qua ſupra actum eſt, non repetam, ſed ex accentuum ratione, et contextu probabo ſententiam. Accentus in Amoſo ſequentem in modum poſiti inveniuntur: ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם: Ex qua accentuum poſitione patet, hunc verſum duas in partes diſſolvi, quarum prior *propoſitionem*, poſterior *expoſitionem* continet. Propoſitio accentu *Athnach* finitur, in quo hemiſtichio iterum duo Jova Judæis per Amoſum proponit, quod ex *Sakephkatono* Rege patet. Portaverunt nimirum humeris et *ſacella* Molochi, et כיון *imagines*. Non tamen Molochum a Chiun ſeparo, quos ſupra coniunxi, ſed reſpicio duntaxat ad accentuum rationem, qua Moloch a reliquis verbis diſtinguitur. Quo ſenſu autem ſeparari, vel coniungi debeant, ſupra expoſui. Qua occaſione obſervo, CORRECTAM, ut vulgo dicitur, VULGATAM verba סכות מלככם minus commode *tabernaculum Molocho veſtro* eſſe interpretatam, quorum ſenſus eſt: portaſtis tabernaculum, ſcilicet *fœderis*, in honorem Molechi veſtri. Si vero hic ſenſus, littera ל eſſet *τῳ* מלככם præfixa, et *το* סכות duce aliquo a Moloch diſtinctum. Reliqua etiam verba nos docent, *το* סכות aliud eſſe tabernaculum a fœderis tabernaculo diſtinctum. Si vero *dicatum* per ellipſin ſubintelligas, cum textu verſio convenit. Quæ tamen obiter. Alterum hemiſtichium reddit duorum iſtorum verborum, כיון צלמיכם expoſitionem. Accentuum constructio duas iterum exhibet diſtinctiones, quæ ex contextus neceſſitate fluunt. Verba כוכב אלהיכם ad כיון pertinent, illamque vocem clariorem reddunt. Nam כיון צלם erat כוכב i. *ſtella*, quam religioſe adorabant, eiusque formam typis exprimebant. Reliqua verba ad צלמיכם reduci poſſunt, veramque iſtius vocis ideam exhibent. Vera itaque ac genuina huius commatis notio hæc eſt: *multo magis portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, et baſin*, nempe *ſtellam*, quæ *Deus veſter* erat; cuius *imagines vobis* multæ erant, *quas* ideo *efformaveratis vobis*, ut religioſe illas coleretis. Hunc verum, genuinum, germanum verborum eſſe ſenſum, quem accentuum compoſitio, et ipſa contextus natura nobis exhibet, iudico. Confer etiam cum hac expoſitione D. Lucæ verba, et invenies, quod eundem ſenſum proferant, nec in accentuum conſtructionem impingant.

και ανελαβετε την σκηνην τȣ Μολοχ,	Imo portaſtis tabernaculum Molochi veſtri,
και το αϛρον τȣ θεȣ υμων ρεμφαν.	et Chiun, *nempe* ſtellam, *quæ* deus veſter *erat:*
τȣς τυπȣς,	*cuius ſtellæ* imagines vobis *multa erant,*
ȣς εποιησατε προσκυνειν αυτοις.	quas efformaveratis, ut illis ſerviretis.

§. IX.

Cetera, in quibus Lucas ab Amoſo diſcedit, pauca ſunt, et nullius ponderis. Amoſus poſuit כיון ante ſtellam, Lucas poſt illam vocem, ſed ſine omni contradictione, ſenſusve corruptione. Quod autem Lucas pronomen *αυτων* a LXX. vir. *τυποις* additum, omiſerit, id ſummo iure ab eo factum eſt. Affixum enim כם non ſignificat *αυτων*, ſed *υμων*, cuius vocis notio in verbis *προσκυνειν αυτοις* exprimitur. Quod autem *το* לכם a LXX. viris *εαυτοις* non male expreſſum, in Actis circumſcribatur, interpretandi cauſa factum eſſe, ſupra iam § XIV. obſervatum fuit. Quem igitur ad modum LXX. viri non ſunt taxandi, quod verborum ordinem citra ſenſus mutationem aliter poſuerint; nam reſpectu accentuum, ordinem intactum ſervarunt; ita nec reliquis verſionibus Orientalibus vitio duci debet, quod verba alio ordine proferant, quia non recedunt a vatis ſenſu. Rem ita ſe habere, ex ipſis tranſlationum verbis B. L. diiudicet, quarum verba latino ſermone duntaxat proferam: ÆTHIOPICA verba ita eſt interpretata: *et accepiſtis tabernaculum Moloch, et ſignum Dei veſtri Repham, dum adoraretis iſtas imagines, quas feciſtis.* ARABICA in *Actis* diſcedit in quibusdam ab illa in *Amoſo* quia vero ſynonyma duntaxat ſubſtituit, ſufficiat, ex Amoſo illam allegare: *Imo ſumſiſtis tabernaculum Molochi, et ſtellam Dei veſtri Raphana, figuras earum, (ſigna) quas paraveratis vobis (ad adorandum illa).* SYRIACA ex *Amoſo* iam ſupra eſt allegata, in *Actis* verba ita tranſtulit: *imo portaſtis tabernaculum Malcum, et ſidus dei* g) *Raphon, imagines, quas feciſtis, ut ſitis adorantes illas.*

§. X.

g) *In qua et hoc obſervatur, quod pronomen* יכם, *υμων in voce* Dei *omiſerint, ſatis eſſe, fortaſſe putarunt, illud in phraſi,* ut ſitis adorantes illas, *exprimi.*

§. X.

Eundem in modum ferme omnes versiones in commate XXV. Amosi et XLII. com. in Actis, vel verborum ordinem mutarunt, vel quædam addiderunt, ita tamen, ut sensum non corrumperent, sed quodammodo illustrarent. Sic ARABICA versio ex commate 27. verba, *ait dominus*, addidit, ita enim verba protulit: *an sacrificia et hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annos, o domus Israel, dicit Dominus?* In *Actis* autem alio plane ordine verba posuit, et a ceteris omnibus versionibus discedit: *O popule Israel, an fortasse vos obtulistis mihi sacrificia et victimas quadraginta annos in deserto?* Et certe nulla facile invenietur versio alteri in verborum ordine plane conformis, quamquam sensu optime cohærent. Imo eædem translationes bis repetitæ non eundem observant ordinem, ut ex ARABICA apparet. Probationis loco etiam sit SYRIACA, quæ in *Amoso* verba ita exprimit: *num sacrificia et munera obtulistis mihi quadraginta annos in deserto, domus Israel?* In *Actis* autem h) hunc in modum verba posuit: *num quadraginta annos in deserto sacrificia, aut victimas obtulistis mihi, filii Israel?* Tandem ÆTHIOPICAM Translationem adducam, ut constet, quo ordine *Amosi* verba protulerit: *numquid in deserto sacrificia et munera obtulistis mihi quadraginta annos, domus Israel?* Quas versiones ideo adduxi, ut cognoscas, illas non statim esse taxandas, cum Prophetæ vestigia exacte non secutæ sint, si modo sensus non corrumpatur. Nec vitii alicuius accusandi sunt græci translatores, quod ad verborum ordinem non respexerint, satis est, quod sensus intactus remanserit. Legunt quidem quidam Codices, WALTONO teste i), *εν τη ερημω, οικος Ισραηλ τεσσαρακοντα ετη, λεγει κυριος.* Sed illos genuinos esse, non agnoscimus, quia in probatioribus non leguntur, et suspicione non caret, formulam istam, *λεγει κυριος*, ex Arabica conversione privata manu margini fuisse adiectam, quæ postea incuria scribarum in textum inserta fuit. Nec illis N. F. codicibus diiudicandis immorabor, qui hunc in modum verba proferunt: *μη σφαγια και θυσιας προσηνεγκατε μοι εν τη ερημω, οικος Ισραηλ, ετη τεσσαρακοντα.* In hac enim nuda verborum

h) *Ex quibus non solum apparet, quod versiones bis repetitæ eundem ordinem non observaverint; sed accedit et hoc, quod suis in linguis alia quoque verba substituerint, quorum notio tamen una est.*

i) *In Bibliis Polyglottis ad Acta Apostolorum et Amosum.*

borum transpositione nulla est textus sacri corruptio. Jucunditatis ergo exemplum conversionis etiam proferam, in qua sensus verborum nimis obscure et alienissime profertur. Est autem ANTIQVISSIMA GERMANICA k), quae verba Amosi ita reddidit: *Haus Israhel habend ir mir denn nit die Opffer unnd das Opfer geopferet in der wüst XL. iar. unnd ir trugent den tabernackel moloch euwern got. unnd das bild euwer abgötter. das gestirn eu vers gots rempha. Die figuren die ir euch machtend ansebetten. Vnnd ich mach euch geen durch Damascum.* Et *im buch der Würckung der zwelf botten*, ut ejus verbis utar, id est *in Actis Apostolorum* paulo aliter sensuque obscuro verba transtulit: *als es ist geschrieben in dem buch der weyssagen. Ir haus Israhel habend ir mir denn geopfert die opfer und oblat in der wüst XL. iar. Vnnd ir empfiengt den tabernackel moloch. unnd remphan den stern gots. die bilde die ir machtent das sys anbettent. Vnnd übertrag euch in babilon.*

§. XI.

Vidimus hactenus, quod D. Lucas cum LXX. viris Amoso vati in omnibus sit conformis. Vocabulum ῥεμφαν autem in suspicionem adhuc venit, quod in graeca translatione ῥαιφαν scriptum legitur. Sed quivis facile perspiciet, hoc posse scribae mendum esse, qui ex εμ facile αι formavit. Quae conjectura non est sine fundamento, nihil enim facilius, quam quod in linguis peregrinis hallucinemur, quarum expertes sumus. Perlege modo varias lectiones de ῥεμφαν, quae statim sequuntur, et assertioni fidem praebebis. Deinde etiam apud ORIGENEM et in CODICE COMPLVTENSI LXX. Vir verum nomen ῥομφα legitur. Idolum enim istud ⲢⲰⲘⲪⲈⲌ vel ⲢⲎⲘⲪⲈⲌ vocari, supra est probatum. Nec unum esse credo, qui neget, hunc deum Aegyptiorum fuisse. Tam clara etenim Amosus et Protomartyr profert criteria hujus idoli, ut manu pene idoli nomen palpari possit. Sed haec investigatio minoris usus; leviores etiam sunt hujus vocis mutationes aliis in plurimis codicibus, quarum JO MILLIVS *novem* l) ad h. l. collegit. I) ῥαιφαν, legere *codicem Alexandrinum.* II) ῥεμφαμ *Cantabrigi-*

k) *Sunt duae conversionis hujus editiones, quarum una* Augustae Vindel. *sine anno et nomine est edita; altera* Norbergae *anno* 148.. *per* Antonium Koburger, *quae nitidissimis typis expressa est, cujus etiam B. ITTIGIVS mentionem facit in* Praef. *ad Biblia Germanica Lips. edita.*

l) *Quae fides istis Codicibus sit habenda, ex ipsis Celeb. MILLII annotationibus in* Praefatione *cognosci potest.*

brigienſem Bezæ, et *Irenæum*. III) ῥαιμφαμ, *Lincolnienſem*, et *D. Thomæ Montfortii*. IV) ῥαμφαν, alios Codd. *Beza* teſtante. V) ῥομφα, *Origenem* et *Codicem Complutenſem* LXX. Vir. VI) ῥαφαν, ſecundum *Arabum* idioma, legere *Codicem Petavii Pariſiis Senatoris*. VII) ῥεφαν, *Codicem Complutenſem*, ſecundum *Æthiopicam* dialectum. VIII) ῥεφφαν, *Cantabrigienſem II*. Codicem in Collegio Novo. Codicem *I. Petavii*. Codicem *Jo. Covelli* S. T P. et codicem in *Biblioth. Vienenſi*. IX) ῥεφα, Codicem II. *Jo. Covelli*. aliosque, *Beza* teſte, codices. Quæ omnia eum duntaxat in finem adduxi, ut exinde cognoſcas, oleum et operam perdidiſſe interpretes. qui his ex vilioribus, neſcio, quantas exſculpſerint difficultates. Nec opus eſt, ut iſtis diſcutiendis immoremur, quæ Cel. MILLIVS ad voces τους τυπους et αυτοις annotavit. ORIGENES nimirum dicit, και τους τυπους, quaſi aliud idolum hac voce deſignaretur, quam ſententiam jam ſupra refutavi. Ita pro προσκυνειν αυτοις legit *Codex tertius* PETAVII προσκυνειν εαυτοις, cuius ſcriba a LXX. viris forſitan eo ſeductus eſt, qui εαυτοις ſunt interpretati.

§. XII.

Maioris ponderis eſſe duco, quod Protomartyr in denominando captivitatis loco ab Amoſo diſcedat. Occurrit quidem in WECHELIANIS Codicibus vox Δαμασκου, ſed ſuſpicione non carent, quod temeraria ratione textum corrigere voluerint. Litem omnes bonæ notæ interpretes ita componunt, S. Stephanum rem magis ſpectaſſe, quam verba. HIERONYMVS ad *Amoſum*, *et hoc* inquit *in omnibus ſcripturis ſacris obſervandum eſt*, *Apoſtolos et Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de V. T. non verba conſiderare*, *ſed ſenſum*, *nec eadem ſermonum calcare veſtigia*, *dummodo ſententiis non recedant*. Quæ omnia ambabus manibus concedo, quia non pauca huius aſſertionis habemus documenta. Hoc autem non ſequitur, in hoc, vel illo loco, viros N. F. a divino Spiritu ductos ſenſum duntaxat protuliſſe, ergo in omnibus, ergo etiam noſtro in loco. Imo vero, ſi in antecedentibus verbis S. Stephanus ne litteram in Amoſi verbis mutavit, ſed ad verbum illum eſt ſecutus: hoc in unico verbo ſenſum tantum reſpexiſſe, non verba retinuiſſe, quo iure diceretur? Alia certe cauſa eſt, cur Sanctum Flamen Βαβυλωνος voce uſus fuerit. Proferunt quidem eruditi, Amoſum ipſum hoc vocabu-

 lo

lo Babylonem includentem, minus dixisse, et plus significasse, Stephanum autem vatis mentem clariorem reddidisse. Hi tamen viri in conciliandi modo differunt. HIERONYMVS loco citato statuit, quia trans Damascum ducti fuissent in Babylonem, seu trans Babylonem. GROTIVS hanc profert explicationem: *Assyria et Armenia, in quam transportati sunt Israelitae, ultra Damascum et Babylonem sunt. Et per Damascum via erat in Assyriam.* Alii dicunt: *Assyria et Media, quae ultra Babylonem sunt, multo magis sunt ultra Damascum.* B. GLASSIVS m) *utrumque* inquit *est impletum, neque enim in Syriam tantum, cuius metropolis Damascus est; sed etiam trans Babylonem in Persiam et Caspiam Israelitae fuerunt abducti.* LIVELEIVS dicit n) *abducti sunt in Assyriam; sed Damasci ob eam causam, ni fallor, mentio fit, quod ea via deportati fuerint per Damascum.* HVMPHREY PRIDEAUX o) hanc profert conciliationem, quam ex versione describam: „Hiermit, quod „Israelitas captivos duxerat Tiglath Pileser, war nun die Weissagung „des Propheten Amos wieder Israel erfüllet, worinnen er in den Tagen „Vsiah des Ahas Gros-Vater vorher sagte, dass sie würden in Gefangenschafft über Damascus, das ist, in Plætze über selbige Stadt Damascus „hinaus gebracht werden. S. Stephan, wenn er diese Prophezeyung „anführet, giebt es über Babylon. - - Vnd es ist allerdings der Warheit gemæs. Denn was über Kir lag, das lag auch über Babylon, „immassen Kir über Babylon lag. Positis his omnibus, dubium adhuc hæret, cur Amosus *Damasci*, Stephanus autem *Babylonis* mentionem faciat, et hoc unicum vocabulum mutatum a S. Martyre legatur? Sicut enim PRIDEAUX ipse profitetur, Israelitas in *Chalaham*, *Chaborem*, et *Haram*; Damascenos autem in *Kir* captivos ductos fuisse: ita hæç conciliatio dubium non solvit, quia de *Israelitis*, non vero de *Damascenis* sermo. Cel. PETAVIVS p) hoc dubium ita solvere studuit, quod דמשק *incolas Damasci* exponi debeat, ut sit sensus: Israelitas in remotiora loca, quam in quibus Damasceni exulaverint, utpote qui trans Babylonem ducti sunt, abductum iri. Verba ipsa proferam: Amosi

m) *In Philologia Sacra, eiusque Rhetorica S. Tract. II. c. 7.*

n) *In Bibliis Criticis Anglicanis ad hunc locum.*

o) *In Connexione V. et N. T. P. I. Lib. I. edit. germ. p. 17.*

p) *POLO in Actis allegatus.*

„Amoſi locum ſic accipio, ſubmovebo vos מהלאה לדמשק, quod non „verto, *ultra Damaſcum in Babylonem;* hoc enim falſum eſt, quia de„cem Tribus, de quibus hic agit, non in *Babyloniam* ſummotæ ſunt, ſed „in *Mediam.* Sed ſic reddo, longinquius, quam ſubmoti fuerunt *Da„maſceni,* qui exportati ſunt in *Kyrum* 2. Reg. XVI. 9. Amos I. 5. quem „locum non dubito eſſe in *Babylonia.* Recte ergo hic dicitur, (ſcilicet in „Actis,) *επεκεινα βαβυλωνος* longinquius, quam in *Babyloniam,* itaque in „*Mediam* deportati ſunt. Hæc PETAVIUS. Mihi autem videntur *Obiecta* eſſe diſtinguenda, cum quibus viri illi *θεοπνευστοι* ſermones fecerunt, tunc res ipſa nos docebit, nullis hic opus eſſe ambagibus. Amoſus annunciat *Iſraelitis* captivitatem, *decem* nimirum *Tribubus,* iam Rehoboami tempore a Juda ſeparatis. Maxime ad iſtas Tribus vaticinia eius ſpectabant, ut ex ipſo exordio apparet cap. I. 1. דברי עמוס אשר חזה על ישראל. Et noſtro in V. capite ad ipſos *Iſraelitas,* quos ad auſcultandum et revertendum ad hortatur, id eſt, ad ipſas illas *decem tribus* querelam iſtam dirigebat. Hinc non male R. BEN MELECH ad h. l. זה אמר על עשרת השבטי' שגלו בימי הושע בן אלה על ידי מלך אשור שלא שבו עדיין לארצם כי בשוב גלות בבל לא שבוהם וכו' *Quod dicit Propheta de decem tribubus, quæ captivæ ductæ ſunt in diebus Hoſeæ filii Ellæ per manus regis Aſſur, quæ non reverſæ ſunt adhuc in terram ſuam. Cum enim redirent captivi ex Babel, non reverſæ ſunt iſtæ, cetera.* Commemorat autem Vates noſter *Damaſcum,* quia Aſſyriorum Rex Damaſcum ſub ſuam poteſtatem redegerat. 2. Reg. XVI 9. et ſenſus eſt, quod tribus iſtæ in remotiora Aſſyriæ loca *ultra Damaſcum* ſita, ſint ducendæ. S. Stephanus autem *Judæos* alloquitur, ſive *Tribum Judæ,* quam Nebucadnezar Babyloniæ Rex victam ſecum duxerat Quæ tribus non ultra *Damaſcum,* nec in *Aſſyriam,* ſed ultra *Babelem,* in Perſiam eſt ducta. Nullus iterum diſſenſus, ſed verus et genuinus utriusque conſenſus. Quæ enim vates in prioribus de *Iſraelitis* dixit, valent etiam de *Judæis,* ſed non idem de captivitatis pœna. Maiores omnium duodecim tribuum hoc grande ſcelus in deſerto commiſerant. Poſteri perverſiſſima parentum premebant veſtigia. *Iſraelitæ* vitulos in Bethel et Dan cultu religioſo colebant, aliisque idolis ſe polluebant; hinc vinculis traditi, *trans Damaſcum* in Aſſyriam ſunt ſubmoti. *Judæi* etiam iſta ſcelera non abominabantur, ſed eadem committebant peccata; easdem itaque dabant pœnas, cum *Babelem* inque Chaldæam oppreſſi ducerentur. Hac in ſententia

tentia confirmor, postquam LYRAM, cuius in *Commentarium* casu incidi, mecum facere video. Dicit enim ad *Amosum*: Stephanus posuit in" *Babylonem*, per quam Judaei *duarum tribuum* fuerunt translati, quod pa-" tet IV. Regum ult. Judaei vero *decem tribuum* fuerunt translati in ter-" ram *Assyriorum*, IV. Reg. XVIII. et transitus ad illam est *per Damascum*." Et idcirco ad exprimendum utramque captivitatem, qua inductae fue-" runt propter idololatriam, Amos scripsit *ultra Damascum*, Stephanus autem eodem Spiritu loquens dixit *in Babylonem*. Probatio huius sententiae ex Ezech. XXIII. desumi potest, quod caput assertionem hanc clariorem reddet.

§. XIII.

Huic veritatis Spiritui aeternas persolvamus grates, quod nos ex tenebris ad lucem, ex mendaciis ad veritatem adduxerit, in qua, non patrum more idola atque imagines, aut innumeros sanctos veneramur; sed verum Trinunum Deum, ex eius Oraculis cognitum, unice adoramus. Dirigat etiam Benignissimum Numen pedes nostros in via pacis, ut his difficillimis temporibus in patriis regionibus tuti atque quieti munera nostra fideli corde offerre queamus. Cui etiam pro concessa gratia, quod hoc opus absolvére potuerim, et nunc, et in posterum sacrificia mea eucharistica offero, supplex Patrem per Dominum nostrum Jesum Christum venerans, ut, quae in eius nomine, infirmis quidem viribus, exorsus sum, non solum gratia eius adsistente perficiantur, sed etiam in eius Nominis gloriam omnia cedant.

